Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Petrus Roest Matthias Beslich

Disputatio Paradisiaca De Protoplasto, Adamo, Probo Feliceque, Ac eodem improbo & infelice, Exercitationi

Luxemburgi: Reulandt, 1624

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn74657651X

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn74657651X/phys_0001
DFG

95

52b 6.



Fa 1092 (95)

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn74657651X/phys_0002
DFG

Tomo hoc. XLVII. . continentur:

1. Dilherri Icarus Academicus Norimb. 1643.
2. Acclamationes propemptiae Academiae Genensis cum ex ea discederet idem Dilherrus.
3. Orationes inaugurales Academiae Lugdunensis Batavorum.
4. Polyandri. Walaei. Anno. 1620.
5. Thysii.
6. Hommii.
7. Sinapii.
8. Ravii Panegyrica Orientalibus linguis Trajecti dicta. 1643.
9. Hier. Welleri Consilium de Studio Theol. Rostoch. 1617.
10. Simile D. Joh. Quistorpii Rostochi. 1643.
11. Justi Jonae oratio de eodem argumento. ibid. 1644.
12. Dan. Heinsii Homilia in Natalem Domini. Lugd. 1613.
13. —— . In Christi Passionem. ibid eod.
14. Quistorpius de Viribus Liberi Arbitrii ex II. Cor. III, 4. 5. 1645.
15. Dannhaueri Dominus Gloriae crucifixus. 1633.
16. —— . De Melchisedeco e Gen. XIV. 1634.
17. Jacobus Martini de Causa Peccati. 1639.
18. —— . Analysis Capitis V. ad Romanos. eodem.
19. Dorschaeus De tribus testibus in Terra. 1 Jo. V, 8. 1635.
20. —— . De Peccato originali. eod.
21. —— Synopsis Theol. Zachariae.
22. —— . ad Hebr. XIII, 8. 1643.
23. —— . ad Act. IV, 27. 28. 1646.

24. D. Mentzerus de Ecclesia. 1608.
25. D. Hannekenius de Persona Christi. 1645.
26. D. Cothmannus de Praedestinatione. Rostoch. 1692.
27. ——. Pars II. —
28. Jo. Crocius de Orthodoxae Fidei Delectu Marp. 1619.
29. ——. Evang. per Europā Doctrinae cum Script. S. conformitas.
30. ——. De Apostolici nominis causis.
31. ——. De Apostolica Ecclesiarū Evang. Doctrina.
32. —— De Catholicismo Eccl. Evangelicae.
33. ——. De Antiquitate Relig. Evangelicae.
34. Gocklenii Theses Apologeticae contra Finskium. 1606.
35. ——. De Analogia seu proportione.
36. Pezelius de S. Coena Steinfurti 1602.
37. Tossani Theses contra Evangelicos. ibid. 1605.
38. Ravenspergeri Samson redivivus. ibid. 1614.
39. Heyderi Eukaes quaestionum Theol. Marpurgi. 1611.
40. Eglini de Genealogia Christi. ibid. 1608.
41. ——. De Fide justificante. ibid. 1617.
42. ——. De Peccato in Spiritum S. eod. 44 β. Crocius de Paedobaptismo.
43. ——. De Praedestinatione. ibid. 1619.
44. Compendium Apocalypseos Poeticum
45. Conradus Vorstius de Idololatria Pontificiorum in cultu Eucharistiae Steinfurt. 1608.
46. ——. de Idololatria eorundē in cultu sanctorum.
47. —— —— In cultu Imaginum.
48. —— —— In cultu ipsius Pontificis.

49. P. Petri Rocchi Soc. Jes. disputatio Paradisiaca
50. Conradi Vorstii Oratio Apologetica in pleno Consessu Ordinum Hollandiæ et Westfrisiæ habita. Rauchardi. 1612.
51. Ebelini de Generatione et Corruptione Hom. Groningæ. 1646.
52. ——. De Animæ Hum. Simplicitate. 1644.
53. ——. Decadis IV. Conclusionum Metaphysicarum. 1646.



DISPVTATIO

PARADISIACA

DE

PROTOPLASTO, ADAMO, PROBO FELICEQVE, AC eodem improbo & infelice,

EXERCITATIONI PVBLICAE THEOLOGICAE data in Catholica & Augustâ Academia TREVIRENSI,

A

MATTHIA BESLICH TREVIRENSI,
AA. LL. & Philosophiæ Magistro, SS. Theologiæ Candidato, Wesaliæ superioris ad Rhenum Canonico.

PRÆSIDE

R. P. PETRO ROESTIO, Societatis IESV, SS. Theol. Doctore & Professore ordinario.

Ezechielis 33. v. 12.

Iustus non poterit viuere in iustitia sua, in quacunque die peccauerit.

LVXEMBVRGI,
Apud HVBERTVM REVLANDT,
M. DC. XXIV.

49.
46
50.
49.
48.
47
46.

In insignia.

Hami se crucibus recte adiunxere lupini,
Atque coronatis turribus agnus adest;
Causa arcana subest: mitem crux ducit ad agnum,
Turritis arces arcibus hame lupos.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn74657651X/phys_0008
DFG

REVERENDISSIMO ET ILLVSTRISS.

PRINCIPI AC DOMINO,

D. PHILIPPO CHRISTOPHORO,

DEI GRATIA

Sanctæ Sedis TREVIRENSIS Archiepiscopo, Sacri Romani Imperij per Gallias & Regnum Arelatense Archicancellario, Principi Electori, Episcopo SPIRENSI, Administratori PRVMIENSI perpetuo, Præposito WEISSENBVRGENSI &c.

DOMINO SVO CLEMENTISSIMO.



IN more à Maioribus recepto, semper fuisse positum, vt summi infimiq; gratulationes, vota, munera nouo Principi deferrent, profanis plurimis iuxta ac sacris historijs confirmare possem, REVERENDISSIME AC ILLVSTRISSIME PRINCEPS, sed monet me epistolæ adamata breuitas, ne tanto me Oceano cõmittam. vna igitur in præsenti instar omnium erit, eaqúe è sacratissimo textu libri secundi Regum Cap. 5. petita. Dauidi, communibus duodecim tribuum calculis, in Regem dele-

 cto, &

ćto, & ſacrato oleo peruncto, neminem non acclamationes, gratulationes, epicharmata accinuiſſe, munera obtuliſſe, vel ſolum Hirami abunde conteſtatur exemplum; de quo ita ſuggerente Spiritu Sancto perſcriptum legimus, *Ingrediebatur Dauid proficiens atq; ſuccreſcens, & Dominus Deus exercituum erat cum eo. Miſit quoque Hiram rex Tyri nuncios ad Dauid, & ligna cedrina &c.* muneris puta loco. Idem iā accidit ab octo menſibus T. C.ni cui vndequaque, pleno quaſi impetu, gratulationes, vota, dona ſunt delata, varia, artis & ingenij pleniſſima, adeoque nec ſuis partibus ſuprema orbis capita defuerunt, Romanus Pontifex, & Auguſtiſſimus Imperator, quorum ille Archiepiſcopali pallio, hic Regalibus iuribus Te non ita pridem liberaliſſime cumularunt; *ingrederiſque nunc proficiens atque ſuccreſcens, & Dominus Deus exercituum apertiſſime Tecum eſt*, merito vt arbitrari debeamus, *Virum nos* habere *ſecundum cor Dei.* Verebar, his memoria repetitis, REVERENDISSIME ac ILLVSTRISSIME PRINCEPS, tuum ante conſpectum, tantis iam ſplendorum radijs coruſcum, comparere, & tenue hoc munuſculum tuo nomini conſecrare, additurus tantum guttam ad gloriæ iſtum ampliſſimum Oceanum; ſed audaciorem me facit, quod legam, poſt elegantiſſimam muſicam tinnitum hærentem, poſt conuiuia vile embamma, poſt pompam & ſpectacula ruſticum diuerticulum, poſt delicias rapum, poſt ſeria iactum lapidis, & arundineos equos, & poſt gratulationes catelli melitæi luſus & aſſultus, mire ſubinde haud paucos recreaſſe. Vnde cœpi opinari, poſſe hoc qualecunque officij demiſſi genus, huiuſque Diſputationis Paradiſiacæ conſecrationem, quam toto pectore T. C.ni Do, Dico, ſereno

reno oculo admitti, quod abundè sat erit desiderio meo. Quid hîc ego nomina, ob quæ (quod paulo ante non obscure videor insinuasse) Tibi PRINCEPS Elector, nostra hæc theoremata offerri ardeant, enucleatius explicem? An non in T. C.ne nos eum nacti sumus Archiepiscopum, qui, quod Roma è publico testimonio nouit, sit forma & exemplar ad omnem præcellentem virtutem futurus, cuius ductu optimos ciues subditosque simus consecuturi, vt tales sint illi, qualis sit in Republ. PRINCEPS, iuxta diuini Platonis apud M. Tullium epist. ad Lentulum, sententiam, à sacrarum litterarum interpretibus notatam in Cap. 12. lib. 1. pentateuchi? An non nos non tam cœlesti munere indepti Principem sumus, quam DEI PRINCIPEM, qua nominis gloria Hethæi Genes. 23. Cap. 6. v. Abrahamum, licet exterum, honorarunt, Principem Deo carum, primordia omnia à Deo ducentem, Dei illustratione gubernantem? An non similis celeberrimo Patriarcharum Iosepho nobis diuinitus es tributus Antistes, cuius eodem in volumine hæc Cap. 45. sunt elogia, fuisse *Pharaoni parentem, familiæ Dominum, terræ sapientissimum, prouidentissimumque* PRINCIPEM? Talem Te ILLVSTRISSIME PRINCEPS iam præsaga mente, saluis præiudicijs diuinis hominum altioribus, optimi quique passim præuident in Imperio Romano futurum, tum apud Cæsaream Maiestatem, tum apud Septemuiros, tum in quauis regionum Germanicarum necessitate, virum, pro domo Dei murum; eum plane, qui talem se semper Reipub & Ecclesiæ præstabit, qualem regno se suo Agamemnon, quem Homerus

rus ποίμενα λαῶν dixit, quo eodem titulo Iacob patriarcha præ reliquis adamatum filium Gen. 49. v. 24. dilaudauit, *Pastorem datum & lapide Israhel*, siue vt exigit Hebræum, *Euen*, patrem-filium, non secus te spiritualem gregem prosecuturum ac pastor singulas ouiculas, immobile saxum in omnibus difficultatibus te stiturum, & subiectis fore te patrem-filium, quem non vt parentem solum sint habituri, sed ceu filiũ, cuius optimis consilijs sint attributuri quiduis, imo thesauros vltrò collecturi. Tantus es, & ni me Lacones breuitatis hortarentur, vltra prosilirem, doceremque sigillatim, ea ipsa in te quadrare, quæ in Ecclesiæ supremo vertice, non diserte minus quam rectissime M. Antonius Muretus, quadam oratione post mortem Gregorij Decimitertij postulauit, *sanctitatem morum, prudentiam, doctrinam, charitatem, authoritatem.* Fide ergo, & quod facis, porro fidere pergas PRINCEPS, non defutura sunt præsidia, quibus ista insignia tua tuearis, inter quæ præcipuum erit, Dei ter Optimi Max. largissima manus, in qua *corda Principum, vti diuisiones aquarum*, prou. 21. v. 1. qui vt harum alias sursum, alias deorsum locauit, & terras his mira partitione exornauit, ac furenti Pelago dominatur; ita cogitationes tuas sanctas promouebit, & impetus hostiles dexterrime, protectrici sua dextera, prout expediet, auertet. non infimum deinde exhibebit virgo Deipara, quæ eodem lib. cap. 8. ita proloquitur, *Per me Principes imperant & potentes decernunt iustitiam*, cuius sicut honor Tecum ab infantia creuit, sic sua protectione non Te vicissim destituet, ac quam Matrem sensisti, cum sodalitij Parthenij, nescio cui, bono inuigilans, Te administro Catholicæ religioni germanam matrem tuam restituit,

restituit, sic eandem persentisces, quemadmodum oramus, *nunc & in hora mortis*. tertium genus deniq; exhibendũ vendicant sibi cœlituum excubię, SS. Angelorum maximè, & ex his tutelariũ; eius, qui à cunabulis tecum hæsit, laborũ adolescentiæ & iuuentutis inspector & adiutor; eius, quo te beauit SS. Trinitas cum religiosissimum (indigitauit ita S. Bernardus) Episcopatum Spirensem adijsti, quem non minus in communi calamitate, tua obruente, solantem expertus es, quam illi in Babylone Israhelitæ, de quibus est Cap. 10. Danielis, Angelum suum, pro ipsis aduersus alios præliantem; eiusque, quem fulgentissimum impertijt supremum Numen, cum primum palam de vrna calculi sunt educti, & nomen tuum præcipuis suffragijs est pronunciatum, & populo publicatum, quo te ornatissimum & maiestate singulari circumcinctum contemplabar, cum te in Ɵdæo Metropolitano considentem PRINCIPEM Electorem sum primo conspicatus. Hos haud dubie audies, & erunt, quod diuina promissa altero pentatauchi lib. Cap. 23. spondent, *inimici inimicis tuis, & affligentes te affligent*, ac vbique *te antecedent*, ac demum in locum omnibus electis *paratum deducent*; quod iterum iterumque voueo, & plus amplius, quando Nouus mysta primam Creatori meo hostiam litabo. Hoc vnice oro ac efflictim desidero, vt si arriserit materia, vile tegmen, quo vestiuimus & disposuimus, boni consulatur, animique magis indicem, quam dignum Principe munusculum, spectes. Illud in ista disputatione contendimus, vt seruiat studijs theologicis, & vnâ summis, medijs, infimisque prosit; Summis,

cum

cum cernent seuere præcepta sua dominum mundi exigere; Medijs, vt caueant fontes malorum, fraudes serpentis, & blanditias debilioris sexus, *sine quo prope nulla hæresis*, inquit epist. ad Ctesiphontem S. Hier. *emersit*, quod nostra tempora copiosissime prô dolor confirmant; Infimis, vt discant vanitatem vanitatum, & sibi etiam à secundis rebus metuant. His Reverendissime & Illvstrissime Princeps Vale, quem primi sæculi ætatem viuere vegetum opto exopto, ac patrocinari nostræ sapientiæ, à qua tanta venêre Salomoni bona, quanta non vlli vnquam alteri, teste Regum lib. 3. c. 3. v. 11. 12. 13. 14. E musæo Treuirensi, Pridie Calendas Iulij, 1624. à partu Virginis.

T. R.mæ & Illvst. C.nis

Cliens.

Matthias Beslich,
trevirensis.

PARADISIACA
DISPVTATIO.

DE ADAMI PROTOPLASTI FOELICITATE ET CALAMITATE.

DE Protoplasto, communi omnium hominum parente, Adamo, multa sacris literis Moyses nobis reliquit, pauca profanis libris profani, & tantum fere, quæ fabulas & mythologias redolent. Multa illa vario sensu explicant Doctores, literario, mystico & accommodatitio; mysticoque, vel allegorico, vel tropologico, vel anagogico, innixis literario, quem potissimum hac disputatione prosequemur, arcessendo primo statum Adami priorem, felicitate conspicuum, & secundo loco posteriorem, calamitatibus cumulatissimum, quorum illo probus, hoc vero improbus extitit.

De protoplasti statu felice.

FOrtunatum Adamum, eiusque felicem statum spectaturus, initio causas, efficientem & finalem, contemplabor; ac deinde eius principatum dominiumque, ac, quâ fruitus est, Dei præsentiam, & custodis Angeli; adhæc animi & corporis eximia bona; præcipuè vero ea quæ iustitiam Originalem attinent; quarto loco paradisum, vna cum duplici celebratissimo arborum genere, altero Vitæ, altero scientiæ boni & mali, & fluminibus; denique studium Adami, & iniuncta singularia præcepta. Eo fine porro hæc proponam, non vt meræ curiositati deseruiant, quod non ita pridem è Caluinistis nonnemo Catholicis improperauit, sed vt sacrarum literarum explicationi, & operis diuini gloriæ, atque gratiarum actioni erga summam Maiestatem, quæ genus humanum tam admirabili modo tantis bonis in primo parente cumulauit, Psal. 8. v. 1. & 2. atque subsequentibus.

CAPVT I.

Causa efficiens, eiusque effectus, Adamus.

I. INTER varia huius mundi corpora, quæ sex diebus est Opt. Ter. Max. Deus architectatus, nouissimum fuit humanum, attamen excellentissimum, in quo velut summam rerum omnium præcedentium collocauit, & nouum quoddam huius mundi miraculum. Solum è corporibus persona est dicta, simul prima & postrema, quæ cum coniuge Eua totum genus hominum propagare incepit.

II. Hominis itaque causa efficiens est Deus, quem ipse Deus singularius præ alijs videtur fuisse complexus. Quanquam enim sapientissimus rerum omnium author, omnia, etiam Angelos, quos verisimiliore sententia cum simplicibus corporibus, elementis puta & cęlis, velut ad cœlos spectantes, in Empyræo, vel vicino cœlesti corpore, primo die condidit, effecerit; nihil tamen ita peculiari consilio SS. Trinitatis legimus productum atque hominem, de quo apud Moysen Genes. c. 1. v. 26. Tres personæ diuinæ, ceu consultantes, sic concludunt, *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, & præsit, &c.*

III. Ex nihilo factum hominem asseruit septem Machabæorum filiorum Mater, lib. 2. Machab. cap. 7. v. 28. nec est inter orthodoxos qui inficietur, si primam corporis humani animæque originem euētilemus, sin proximum modum componendi totius humani ædificij, ex Geneseos ca. 2. v. 7. constat *formasse Deum hominem de limo terræ.* Limum terræ illum, terram rubram fuisse hebræa vox, *haadama*, indicat, & aliqualis hebræorum traditio, iuxta S. Hieron. in qq. hebra. & Venerabilem Bedam, quanquam non desit accuratissimus alias Suarez li. 3. de oper. sex dierum c. 1. n. 3. qui refellere adnitatur.

IV. Vix sinunt doctiores Theologi, corpus Christi in materno vtero è purissimis Deiparæ sanguinibus efformatum, exornatumque momento, & minus multo è cineribus minutula tali morulâ reparādum cuiusque corpus, quando resurgemus & supremo tribunali sistemur; an his non obsistentibus nihilominus asseuerabimus, Corpus Adami puncto temporis aptatum, perfectumque, & illa momētanea duratione, à terrâ totâ, terræ illam corporis Adami particulam di-

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn74657651X/phys_0016
DFG

diuulsam̃, raritate sua & densitate donatam, omniq; exactorum mẽbrorum symmetria & proportione, ac simul immissam animam nobilissimam? Hæsitauit nonnihil S. Aug. li. 2. de Gen. contra Manich. c. 8. sed si vim omnipotentis Dei, moræ non indigi, dignitatem hominis, decorum, siue τὸ πρέπον, & commodas rationes, quibus nil repugnans possit opponi, expenderimus, non erit quod nos diutius hæsitemus, momento totum esse perfectum.

V. Vnicè adeo sacræ literæ Genes. 2. v. 7. & c. 5. v. 1. Eccles. 17. v. 1. 1. Cor. 11. v. 12. & Coloss. 3. v. 10. Sanctique Patres, præsertim S. Aug. li. 12. Ciu. c. 24. & lib. 16. c. 6. nec non lib. 9. de Genesi ad litteram c. 15 hominis primi productionem attribuunt, ac cœli terræque, quæ cõdita sunt, nullo adhuc angelo in rerum natura existente, creationẽ, Deo potentissimo soli; vt ob tantam verborum emphasin esse negãdum arbitrer, aliquod hic angelorum ministeriũ interceßisse, quod etiam ipsa iã explicata actionis diuinæ celeritas persuadere putatur.

VI. Delirium Origenis appellauit Damascenus lib. 2. de fide ca. 12. animum hominis multo ante corpus Deum condidisse, quo etiã non parum cespitauit Philastrius in Catalogo hæresum, ca. 99. quem S. Aug. lib. 13. Ciu. c. 24. confutauit, & præterea astruxit perperam, spiraculum vitæ in faciem Adæ insufflatum, non fuisse animum, sed Spiritum S. media caritate, & gratijs diffusum in cor protoplasti; quibus grauius aberrarunt Gnostici, Cerdoniani, Marcionistæ, Manichæi, & philosophi quidam, qui diuinæ substantiæ particulam velut sempiternam, esse animam statuerunt. Sed nos quod legamus, cum de luto Deus fingeret Adamum, hominem formatum, accessione immissi spiraculi vitæ, SS. Patrum calculo adiuti, simul animam cum corpore effectam, prius quidem naturæ conditione, non temporis, corpus; posterius animam, disertè asseueramus.

VII. Anima rationalis Adami, nec est è luto, nec vlla ex alia materia, siue visibili siue inuisibili deducta, sicut neque nepotum ex traduce, id est, ex anima parentis, quod commentus fuit Tertul. est deriuata, totaque è nihilo est eruta, non ab angelis, vti somniarunt Seleuciani, sed à solo Deo, qui vnicus est animæ molitor, alius vt principalis constitui non vlla ratione queat, quod non modo monet, *In-*

50. 49. 48. 47.

spirandi, vocula Gen. 2. interpretatione SS. Patrum, sed vniuersa ratio animæ, à corpore independentis, spiritualis, immortalis, sempiternæ, fœlicitatisque absolutissimæ capacis, non authoritate tantum sacri codicis, & decisione Lateran. Cõcilij vltimi, & Innoc. III. c. Firmiter, de sum. Trin. verũ etiã luminis naturalis & veræ philosophiæ.

VIII. Solent à nobili artifice homines æstimare nobile opus, quid ni nos à nobilissima causa nobilissimum post angelos hominem ipsum. Eo modo Deus eum protulit, nobilius vt nequiuerit ab alio effici. Non est interim hinc excludenda animæ corporisque vnio, siue vnitio, cuicunque ea tribuatur, velut afficiens modus, corpori, animæ, an vtrique, quod physicis discutiendum permitto, & animæ cũ corpore glutinum posset vocari, quod copulatâ formâ & materiâ exurgat homo, animal illud glorioſum, quod ab humo, altiores vt poneret frenaretque spiritus suos, nomen inuenit.

CAPVT II.

Causa Finalis variaque Finis gratiâ Media.

I. FInis creati hominis est duplex; is, qui Cui, ac est ipse homo, nominari solet, & is, qui *Cuius gratia* quem nunc maximè perquirimus. Dispescunt hunc in Extrinsecum & intrinsecum; hic in spontanea actione potissimum collocatur, iste in quadam perpessione aut extrinseca destinatione. Quod vero in eo, qui finis dicitur intrinsecus, ratio habeatur actionis & obiecti, actione autem, res in quam tendit velut formâ obtineatur & possideatur, diuiditur intrinsecus in formalem & obiectiuum, quorum ille ipsissima est actio, hic res possessa siue obiectum. Vterque vel est genuinus, quem verum aiunt, vel fucatus, quem apparentem, quo homines non raro, neglecta graui lege, præterito velut Deo, noxijs bonis adhæresunt, vel quasi, siue sint illa corporis, cuiusmodi est voluptas, siue fortunæ, cuiusmodi sũt diuitiæ, honores, & affinia, siue animi, cuiusmodi scientia, siue alia. Genuinus finis, alius est naturalis, alius supernaturalis, quem ita in Dei adamati, vnius & trini, clara visione constituimus, secundum ea quæ S. Ioan. 1. can. cap. 3. v. 1. n. 3. disseruit, vt referatur equidem in ampliorem Dei gloriam. Extrinsecus hominis finis est, vt deseruiat

ma-

maiori Dei gloriæ, prout voluntas Dei decreuerit, altissimi Dominij sui monstrandi ergo, in bonum hominis, vel malum etiam, aut iustitiæ data culpæ hypothesi, quæ in pœna damnatorum elucet in inferno; vel summi honoris, quem sibi soli vendicat, negatque alteri tribuendum.

II. Disceptant nonnulli, possitne cum visione illa fœlicissima consistere crimen. Sunt qui negent, aiuntque magis hoc excludere, quam ex eadem parietis particula albedo nigredinem idque instar physicæ formæ; sunt quoque qui affirment, quibus allubescit moralis sola conditio, ob quam iam non sustinet peccatum, & ea ratio, qua velut maximum quoddam donum, personæ Deo gratæ adiunctum, quam perfectissime beat. His vt assentiar ea me mouent quæ in 1.2. S. Thom. collegit Franciscus Suarez.

III. Præter prorsus vltimum finem, sunt alij intermedij, cuiusmodi sunt, qui in quauis bona honestaque actione elucent, siue priuatâ siue publicâ, qualis est Principis, aut alterius publico bono cooperantis; priuatâ, qualis est cuiusque priuatim sobriè piè & iustè viuentis, etiamsi aperte in Deum nō dirigeret. Particulares hi possunt indigitari. Ad nos pertinet ille præscriptus Gen. 1. v. 26. *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, & præsit piscibus maris, & volatilibus cœli, & vniuersis animalibus, quæ mouentur super terram*, & quem alicubi Aristoteles, dictauit, *Nos*, dicens, *quodam modo rerum omniū fines esse*, quod mundus totus propter hominē factus credatur.

IV. Inter medij isti fines, inter media quoque, quibus vltimum obtineamus recenseri queunt, sicuti esset aduersitas, prosperitas, diuitiæ, paupertas, honor ignominia, & his cognata, si singulis rectè vtamur, ac ante omnia Fides, Spes, charitas, aliæque supernaturales virtutes, earundemque operationes, cum vsurpatione sanctissimorum Sacramentorum, modo non *patiamur dominari*, vllo vnquam tempore, *in mortali nostro corpore peccatum*, Rom. 6. v. 12.

V. Fines hactenus propositos, compendio sic pij solent proponere, *Creatus est homo ad hunc finem vt Dominum Deum suum laudet, ac reuereatur, eique seruiens tandem saluus fiat.* Homini hoc tributum est, quod eum Deus fecerit ad imaginem & similitudinem suam, capacem sublimium bonorum.

VI.

VI. Non desunt, qui in verbis Gen. 1. v. 26. distinguunt imaginẽ & similitudinem, & in naturalibus considerent imaginem, in supernaturalibus donis similitudinem quo pacto inter SS. Patres aliqui subinde loquuti; verius est verò, non distingui, sed explicatius dici posteriori verbo, quod minus explicate erat dictum priore, nempe in similitudinis substantialis ratione hanc imaginem consistere, cõplerique per potentias animæ rationalis, quatenus talis est, atque ipsis actibus intelligendi, memorandi, libereque deligendi, idq; quadam similitudine confusâ, tantumq; participatâ. Quod nonnemo putat imaginem impropriè accipi, & quidem pro Exemplari, ingeniosè dictum arbitror, sed non satis accuratè. Omni enim proprietate puto intelligendam, quantum licet, imaginem pro eo, quod ad exprimendum exemplar est productum, quemadmodum intelligitur Gen. 5. v. 3. cap. 9. v. 6. 1. Cor. 11. Colos. 3. v. 10. Ephes. 4. v. 24. & alibi, ea vero, *Faciamus ad imaginem*, significant terminum productionis, qui est vt homo sit eo modo factus, vt actionem qua est factus imago terminarit, idque vrget idiotismus hebreæ linguæ.

VII. Imago illa in animæ rationalis essentia consistit, eiusque potentijs proprijs, & actibus, in corpore haud quaquam, & tantum velut in signo, quod in illo reluceat, & resplendescat illa imago, qua etiam obscuro quodam modo ipsa SS. Trinitatis constitutio appareat. Ex anima imago in totum compositum redundat. Ait nonnemo, imaginem duplicem, naturalem, paulo ante explicatam, & supernaturalem, quæ gratia, quam animæ animam vocat S. August. continetur & donis triplicibus, inde consurgentibus fide, spe, charitate, & comitantibus alijs.

VIII. Ex his explodentur 1. Antropomorphitæ, qui secundum corporea membra hanc imaginem potissimum explicarunt. 2. Illi, qui imaginem hanc non Deum Sanctissimamque Trinitatem exprimere voluerunt, sed corpus aliquod à Deo conditi hominis tempore assumptum, quod Oleaster, & Eugabimus in Cosmop. senserunt. 3. plerique Lutherani qui cum Caluinistis credunt omnem imaginẽ Dei erasam, hominis prolapsione in peccatum, quod quî factum erit, si in substantia hominis est posita! & si nil deperditum, nisi su-

per-

pernaturale! 4. Tuitiensis Abbas Rupertus, à quo imaginis ratio tantum est relata ad Filium, similitudinis ad Spiritum S. nisi sit mystico vel accommodatitio sensu locutus. 5. Matthias Illyricus, qui stolidè pernegauit hominibus, posteris Adæ, imaginem Dei, asseruitque commutatam in viuam & substantialem imaginem diaboli.

IX. Tam mulier, quam vir, est imagine Dei insignita, geritq; diuinam imaginem, licet non eâ perfectione, qua vir, quod ex sexus dispositione subiecta sit viro, & vna cum illa subiectionis necessitate & obligatione sit tantum intellectu libertateq; prædita, aliudq; non voluit S. Paulus 1. Cor. 11. & nonnulli interpretum quod S. Aug. ex subiectis verbis Gen. 1. & alibi conuicit, *Masculum & feminam fecit eos*, lib. 12. de Trinit. cap. 7. & Basil. in cap. 1. Gen. hom. 10.

CAPVT III.

De principatu & Dominio Adami.

I. EA conditione primos homines Dominus effecit, vt rerum essent domini Gen. 1. v. 28. *Benedixit illis Deus, & ait, Crescite &c. & dominiani piscibus maris, & volatilibus cœli, & vniuersis animantib. quæ mouentur super terram*, quod idem ad homines reliquos deriuatum esse, peccato iam commisso, docent capitis 9. Gen. textus 2. & 3. Eccles. 17. & alia Scripturæ Sanctæ loca. Exigit hoc dominium, vt prorsus absolutum censeatur, tria, Capacitatem, potestatem physicam, moralemque, & ipsum rerum vsum. Ipsa natura hominis capacitatem prodit, & physicam potestatem, imo & moralem, quæ in iure vtendi est posita, vt varijs ex causis limitari possit, post lapsum maxime, & cum primis ex prima rerum apprehensione. Vsus à libertate dependet.

II. Subiecta sunt quodammodo omnia rationis vacua homini, quæ intra cælos continentur; etiam cete grandia, & feræ terrestres, quanquam negarit Theodoretus, posseturque homini homo subijci, quin etiam Angelus, contra quem præualuit breui tempore Iacob, Gen. 32. v. 28. & Exorcistæ nostri contra diabolos; atque inficior Rerum diuisionem statui innocentiæ repugnasse, quod perpulchrè propugnarunt Leonardus Lessius libr. 2. de iustit. cap. 2. dub. 2. &

Sua-

Suarezius libr.5.de operibus sex dierum, cap.7.num.17. &18.

III. A statu innocentis Adami, si perstitisset, ablegata fuissent seruilia & herilia dominia, non tamen œconomica & politica, etiam iurisdictionis, quam si Adamo singularius initio non obtulit Deus, obtulissent posteri, vel gratitudine vrgẽte, & Principem huius mundi supremum delegissent, qui peccantes vel peccaturos ex officio pœnis coërcêre potuisset, variasque introducere ciuitates.

IV. Fuit alia adhuc quædam Principãdi obligatio Adamo cõcredita à Deo, vt scilicet pro se suisque posteris conseruaret originalem iustitiam, & dona coniuncta, quæ & ipse & posteri vniuersè non perdidissent, ipso non peccante, & minime de vetita arbore comedente, peccantes autem circa scientiæ boni & mali arborem, amisissent, Rom.5.v.12.13.&14.& 2.Cor.cap. 5.v.14. Fuit ea singularis adeo Adamo, vt nec Euæ sit concessa, nec vllis parentibus principibusque, qui fuerunt, sunt, & erunt, vt propterea sit quæstiuncula mota, an id Adamo, ex singulari pacto, cum Deo inito, acciderit, aioque, si pactũ vtriusque partis conuentionem & consensum mutuum significet, ex hoc non euenisse, quod rectè asseruit Dominicus Soto; Si vero singularem Dei constitutionem, ex qua fuerit pro se & posteris obligatus, non transgredi fixam, de non comedendo, legem, iustitiamq; impertitam conseruare, omnino hinc contigisse quod cum Ambr. Catharina plures docuerant qui sic pacti nomen referunt Genes.17. Osee 6. & alibi.

V. Sed aias, quid si illa constitutio fuisset incognita Adamo, an transgressione omnia pro se & nepotibus dissipasset, sed sine peccato illo, quod ad posteros manasset, posterique tantum gratiâ & donis varijs fuissent destituti non autem vllo peccato originali temerati & sordidati; defuisset enim, horum omnium ignorata consideratione, hunc in scopum collimata vel quasi collineata libertas, atque è sola gratiæ negatione & orbitate Originale peccatum nequisset concludi. His quidem Suarez lib.3.c.21.n.28.& Vasquez in 1.2.disp. 133.cap.1.se opponunt, sed nobis à Vasquesia citatus Alphonsus Salmeron, & alij patrocinantur.

VI. Excellentius dominandi iura Adamus, adhuc innocens, pos-

sed dif-

sediſſet, qui prima, Domini inſtar, nomina cunctis rebus impoſuit, & vt habuit, ita ſi perpetuaſſet innocentiam, dicto audientes habuiſſet ſemper, abſque vlla remora, animantes vniuerſas, atque nullam è rebus omnibus perſenſiſſet moleſtiam, poſitaque velut ferocitate omnia bruta mititatem in Adamum monſtraſſent quem ceu Dominũ ſuum fuiſſent velut reuerita, eique, ad nutum iugulum quoque obtuliſſent, ac præterea nihil, quod animam lædere potuiſſet, in ijs reperiſſet, teſte Aug. lib. de Ciu. 14. cap. 10. denique ijs, pro omni vſu honeſto, vtilique illi ſtatui, fuiſſet vſus, niſi quid interueniſſet diuinæ prohibitionis, qua volunt non pauci interdictum carnis eſum, quantumuis haud clare ſatis ex ſacris literis obtineatur. Animalibus Adamus paſcua, onera, opera, loca, affiniaque ſingularius prouidiſſet.

VII. Fuerunt iſta iura, fere poſt peccatum imminuta, licet non ablata omnia; quod ratio recta cum ſacro codice, etiam malorum Iliadibus quibuſuis durantibus, plura concedat & requirat. Præcipue eſt ſubtractum, ius ſingularius in maiora & nobiliora animalia, cuiuſmodi ſunt tygrides, leones, his vicina, & in minutula non pauca viliſſimaque, vt culices puliceſque. Viri ſancti quidam exiſtimantur aliquod iſtiuſmodi, quale fuit in illa ante lapſum Adami, recuperaſſe, è quibus illud vſurpauit in omnia prope Noe, in vrſos Eliſæus, in leones Daniel, in viperam S. Paulus, in aues & piſces S. Franciſcus, quibus quantum dominatus ſit Societatis Iesv vir, Beatus Ignatius Anchieta, eius mirabilis vita, typis commiſſa, conteſtatur.

VIII. Recte tam prænobile ius primo homini tributum fuit, vt is qui nec carnis rebellionem perpeſſus fuiſſet, nec vnquam à Dei voluntate diſſenſiſſet, ſi libuiſſet, ſed vndequaque rectus perſtitiſſet, etiã amica ſibi animalia reperiret, omniaque propitia, ac illi omnes ſeruirent ſæpius allegatæ creaturæ, cuius gratia erant productæ Domino mundi huius, Adamo, adhuc communi omnium ſupremo Domino accurate adhæreſcenti, eamque promptitudinem non citius negarent, quam ille Deum deſeruiſſet.

CAPVT IV.

Dominium in vxorem.

1. Refert Prateolus V. Almericus, Almericum hæreticum confinxiſ-

se, sexuum differentiam in paradiso futuram non fuisse, & vel Euam ante expulsionem Adami è paradiso, non fuisse effectam, aut non diuersi sexus, quod claris Geneseos capitis primi & secundi verbis aduersatur, & capiti 19. Euangelij S. Matthæi. Fabulosus est deinde Caietanus, comminiscens, Euam eodem momento cum Adamo procreatam, quam caput 2. Gen. Adamo in ecstasin rapto & dormiēte inquit extructam: simili fabularum cudendarum morbo laborarunt Rabbini, qui aut affixam lateri Adæ Euam, productionis tempore, mentiti sunt, aut Hermaphroditum Adamum editum, aut bicorporem, duplicemque in vno corpore hominem.

II. Ne probabile duco, Euam septimo die, quo ab omni opere suo requieuit Deus, elaboratam de costa Adami, quod sexti diei operum perhibeatur nouissimum in Genesi, ex sumptâ, è duodecim, vnius lateris Adami costarum, vna naturali, totius ædificij quasi fundamento, reliqua materia aliunde adducta. Costæ ablatæ ab Adamo, defectum, Deus suppleuit nouæ carnis vel etiam nouæ costæ structura, ne quod Adamo deesset robur. Suauiter costam in magno illo sopore sustulit Deus, & verius subduxit, quam subtraxit.

III. Conseruarunt externam corporis Virginitatem in primæuo illo paradisi statu Protoplasti, non internam animi, ob propositum aliquando contracti inter Euam & Adamum matrimonij consummandi, quod significarunt ea Adami, *Et erunt duo in carne vna.* Ex Patribus quidam existimarunt, in statu innocentiæ homines fuisse parituros generaturosque sine vlla sexus commixtione, Dei solius benedictione, quod fœcunditati inditæ à Deo verbis, *Crescite & multiplicamini*, obstat, ac S. Aug. lib. 1. retract. lib. 14. Ciu. & lib. 8. de Gen. ad literam. Pugna est inter quosdam an S. Thom. 1. p. q. 98. a. 2. ad 4. docuerit, salua integritate partium, quæ Virginitati deseruiunt, concepturam fœminam, an aliquid rumpendum voluerit, & verisimilius dico voluisse nil quidem rumpendū, saluis tamen Virginalibus claustris excepturā semen, absq; diductione, quod non est probabile, & verbis, *Erunt duo in carne vna*, expugnatur, ceteris asserentibus diductione, & obstaculorū cessione suaui vsū matrimonij fuisse futurū.

IV. Multorum Scholasticorum est consensus, eodem in statu tot pro-

procreandos mares quot fœminas, non futuram polygamiam, imo neque succeſſiuam bigamiam, caſtiſſimeq; omnia tranſigenda, quib. plerique adiunxerunt laudabilius futurum fuiſſe matrimonium, præ continentia & cœlibatu, quod minus viſum eſt probabile Suarezio noſtro li. 5. c. 2. n. 12. & 13. qui deſeruire putat potuiſſe cœlibem quorundam vitam, maiori etiam ſanctitati & profectui ſpirituali, quem non præſtitiſſet coniugium.

V. Adiumenti loco data erat Eua Adamo, & proinde ſubdita, quæ, prout Adamo fuiſſet viſum, adiutaret. Vnde ius viri in vxorem perpetuum fuiſſe, tum ante, tum poſt peccatum ſolet deduci, quanquam ante lapſum obſequium non præſtitiſſet vxor adacta, aut coacta, aut ex mero moleſtoque imperio, quale nunc peccatis vrgentibus ferè mulier tolerat, prædictum à Domino Gen. cap. 3. v. 26. *Sub viri poteſtate eris & ipſe dominabitur tui.* Sed ſuaue, lubens, & promptiſſimũ.

VI. Obtemperaſſet vxor, non in negotio ſolo matrimonij ſed in educatione etiam prolis, in gubernatione domus alijſque quotidianis exercitationibus, feliciuſque virum Dominum ſuum agnouiſſet, quam iam præſtet.

CAPVT V.

De diuina præſentia & Angelo Cuſtode.

I. QVod mox ac deliquit factum legimus, apparuiſſe Adamo, ſtatim perpetrato ſcelere, Deum, non dubium quin eodem adhuc innocente acciderit, ſæpiuſque diuina præſentiâ fruitum. Hanc ob rem ſæpius aſſerunt interpretes ſacrarum literarum, ab Adamo Deum viſibili forma viſum, & 1. quibuſdã videtur vidiſſe Deum mox vt ad imaginem Dei creatus fuit. 2. alijs placet magis tunc primo aſpexiſſe Deum, cum vtrique dictum *Creſcite & multiplicamini, &c.* 3. veriſimilius eſt, Adamum iam ante impertitam vtriq; benedictionem vidiſſe, quando eum *tulit Dominus*, deditque de cuſtodia paradiſi præcepta, atque de abſtinentia ab vnius arboris fructibus Geneſ. c. 2. v. 15. 16. & 17. 4. Cum adductis omnibus animalibus, ijſdem iuſſit eum imponere nomina, eodem c. v. 19. rurſum vidiſſe præſentem. 5. Cum poſt immiſſum ſoporem Euam, è coſta ædificatam, Adamo tradidit vxorem, ibidem v. 22. 6. Suſpicatur nonnemo frequentius, quã

meminerit scriptura, à Deo forma aspectabili visitatum.

II. Apparitiones illas factas probabile est, vel solis auditis verbis, sicut in Christi baptismate, voce delapsa cælitus, contigit, vel figura oculis subiecta, cuiusmodi fuit in eodem baptismo in Christum demissæ columbæ, iuuenis in fornace babylonica, viri senis inueniſque oblata forma Danieli ca. 7. vel alia, siue ea solum Patrem repræsentarit, siue Filium solum, siue omnes tres SS. Trinitatis personas. Et quanquam non inuenerim inter ea quæ fieri nequeunt, Deum corpus quadam inadæquata ratione assumere, extra Incarnationis mysterium, existimo tamen omnes illas perfectas à Deo in quadam sui imagine, per Angelos.

III. Multis itaque modis à Deo per angelos præsentia mirâ Adamus est nobilitatus, fuissetq; haud dubie copiosiori, si constans perstitisset, & semel inchoatam peculiarem protectionem, interiorem & exteriorem, ne vllibi offenderet, meritis suis velut adauxisset, cuius gratia sine vlla controuersia arbitror datum ei insignem aliquem custodem Angelum.

IV. Indiquisse hoc putatur, vt perstaret tanto facilius, vt tanto aptius tentationibus, à quibus, serpente insidiante, non fuit immunis, resisteret; vt tanto incitatius ad heroicarum virtutum præstantiores actiones proueheretur; atque in omnibus quam honorificentissimè esset tum præmunitus, tum etiam societate grata hilaratus, & apud Deum maiora reperiret patrocinia. Quare si Deiparæ S. Bernardus epist. 77. nobilem custodem Angelum impertiuit, quid ni nos Adamo similem impertimur? & si aduersariæ cohortis Angelum malum serpentinis machinis persensit, quid ni persenserit auxilia boni? asseroque præstantem admodum ei, non obsistente Gregor. Nyss. lib. de vita Moysis, assignatum fuisse. Fuit ea sententia Doctoris Angelici 1. p. q. 113. a. 4. ad 2. & 2. 2. q. 165. art. 1.

V. Fernelius medicus libr. de abditis rerum causis cap. 11. literis proditum se accepisse retulit, primi parentis Angelum custodem nomen habuisse, Razielem, Abrahæ Zakielem, Isaac Raphaelem, Iacob Pelielem, Moysis Metratonem, per quos velut internuntios plurima diuinitus acceperint; quæ ego omnia Caballistarum commen-

menta non ambigo, quod Zacharias Pontifex epist. ad Bonif. Mogunt. deciderit post annum Domini 700. Angelorum nulla alia nomina nobis esse debere, quam Michaelis, Gabrielis & Raphaelis.

CAPVT VI.

Anima rationalis Adami, eiusque nativæ facultates.

I. DIgnitas est magna Animæ humanæ, cuius omnes laudes his limitibus velut clauduntur. 1. Quod sit corporis forma, è nihilo procreata. 2. Quod quanquam partis conditionem induat, summũ nihilominus gradum inter entia, qui est intelligentis, complectatur, in eoque Orbis opifici præstantissimè assimiletur. 3. Quod sit prorsus immaterialis & spiritualis, adeoque indiuisibilis, quæ sit tota in toto corpore, & tota in singulis corporis partibus, licet non immutabilis, quæ etiam ad motum brachij vel pedis moueatur, non vero ad partis abscissionem & mutilationem. 4. Quod cum corpore non extinguatur, sed immortalis sit, & ex intrinseco incorruptibilis. 5. Quod multis in operationibus, suâque naturâ, à corpore, nulla necessitate pendeat. 6. Quod formas inferiores quadam eminẽti ratione intra se velut includat, & quadantenus aliqua formali, excludatq; nescio quas effictas partiales formas. 7. Quod ex ipsa aptius homo ad cognitionem Dei se excitet, agnoscatq; Numen, quam ex Angelica hypostasi & naturâ. 8. Quod eius notitia sit Christianæ religionis totiusque Theologiæ basis & fundamentum.

II. Hanc Adamo inditam sacræ literæ tradunt secundum faciem, quod κατ' ἐξοχὴν Doctores dictum volunt, ob nobilitatem humanæ faciei, in qua facilius rationalis anima se prodit, quod in hac abundet sensibus, omnibusque affectionibus & qualitatibus ad intelligendum volendumque requisitis.

III. Excelluit adhæc prænobilis Adami anima, triplici facultate, intelligendi, appetendi, seseque de loco in locum mouendi, à corpore potissimum soluta. Quia autem intellectio ab intellectu non promanat, nisi obiecto, eiusue loco specie intellectili, affecta, quam sapientissimus Adam statim de omni re sibi comparare nequiuit; hinc Doctorum ferè est constans sententia, infusas ad omnem propè intellectionem vsurpasse, quas sibi in rebus naturalibus potuisset, si tẽpus

pus ſuppetiuiſſet proprijs viribus parare, non item in ſupernaturalibus, niſi naturali interpoſita apprehenſione, propoſitis, aliàs verò peculiari dono Dei opus habuit, ſemperque habuiſſet.

IV. Prout porro habuit inditas à Deo ſpecies, naturaliter parabiles, in intellectu; ſic vt ijſdē naturali via & ratione vteretur, fuit neceſſarium, etiam ſenſiles in phantaſia obtinere, infuſionis dono, & quodammodo ipſa phantaſmata, vt eſſet in Adamo etiam illud naturale, *intelligentem phantaſmata contemplari oportere*, hominemque primum in intelligendo res naturales à phantaſmatis dependiſſe.

V. Ex dictis conſequitur, quod ſi naturæ modo ſua ſciuit Adamus, ſuppoſitis à Deo immiſſis, etiam in rebus dignoſcendis exercuiſſe diſcurſum, non modo eum qui ſubinde habito antecedente momento infert conſequens, ſed eum qui ſucceſſionis & temporis eget, licet frequētius intermiſerit, quod ex immiſſis licuerit illi, ab antecedēte, puncto temporis, tranſgredi ad conſequens, quæ eſt. S. Tho. ſententia 1. p. qu. 94. art. 1. ad 3.

VI. Exornatus denique fuit primi hominis intellectus omnis generis virtutibus, ijs, quas indicauit Ariſt. 6. Ethicor. intellectu, ſapiētiâ, ſcientiâ, prudentiâ, arte, quibus ſeſe perfectiſſimum diuino munere reperit, tum praxeos gratiâ, tum contemplationis, tum etiam effectionis, quod indicauit Eccleſiaſt. 17. & ipſa dignitas primi rerū omnium temporis exegit, quod non tantum homo ille datus eſſet orbi, ſed datus Doctor & inſtructor futurus omnium.

VII. Nobilior fuit intelligendi ratio, etiam circa res naturales, in Adamo, quam ſit in nobis. 1. Ob excellentiam ingenij, quam ſtatim aptiſſimam omnibus ſcientijs exercendis Deus illi contulit. Qui enim initio condidit arbores, cum folijs, omnique præparatione, & apta compoſitione, ex qua velut ſubito & momentanea morula dimanarent poma, alijque fructus, idem haud dubiè homini contulit, vt ſubito proferret ſcientiarum omnium, quantum viribus naturæ liceret, emolumenta & fructus, id eſt, nobiliſſimas contemplationes & actiones, adeoq; excellentiſſimi ingenij, excellentiſſimas functiones. 2. Ob auxilia, ex optima corporis temperatione, ac inſigni internorū externorumq; ſenſuum perfectione, oblata. 3. Ob ſummam

quo-

quodammodo nobilitatem intellectilium ſpecierum & habituum præ quam communiter acquirimus. 4. Ob ſummam vacuitatem perturbationum, & impedimentorum, quibus nunc multum in ſcientiarum exercitatione homines moleſtantur premunturque. 5. Ob copiam materię ſcientijs per ſpecies infuſas exhibitam.

VIII. Voluntas Adami, non modo vis appetens, rationem ſubſequens, fuit, ſed in quam plurimis libera, iuxta cap. 15. Eccleſiaſt. Libertatem illam plenæ rationis pediſſequam, nulla intellectio, alia à cæleſti Dei viſione, infringere potuit. Verum eſt quidem, voluntatis nullam eſſe actionem, abſque intellectus motione, ſed non eſt hæc vigente florenteq; libertate, alia, quam ſuadens, aut alliciens, non autem efficiens, ac vel coactione vel aliqua neceſſitate voluntatem inflectens impellenſque. Tanta eſt, vt etiam quibuslibet oblatis poſſit pariter opus ſuum edere & non, quod accuratiſſime, & ſacris literis, & ſacra traditione, & authoritate SS. Patrum, atque rationis lumine demonſtrauit inuictiſſimus Cardinalis Bellarm. libr. 4. de gratia & lib. arbit. cap. 7. 8. 9. 10. quibus ne quidem obſiſtat aut Dei præſcientia, aut prouidentia. Ea fuit dignitas voluntatis, vt cum ea arbitrij libertate quoslibet actus conceſſum fuerit exercere Adamum, vno dempto, peccati, & proinde tam eos, quos finis gratia tribuimus voluntati, amorem, intentionem, fruitionem ſiue gaudium, quam quos mediorum, vt electionem, vſum, imperium, quo decernit de edendis actibus aut applicatione facultatum, non de ratione edendi agendique, quod ſoli intellectui aſſcribimus, qui eſt voluntate præſtãtior. De volũtatis virtutib. infra ſuo loco alia prẹter iſta ſtatuemus.

IX. Adamus ſtatim ac conditus fuit, vi triplici motrice enituit, vna propria cordi & pulmonibus, altera propria progreſſiuo motui corporis, cui iungo particulares contractionis & dilatationis membrorum, ex commodo vel incommodo obiecto. 3. Solius animæ rationalis, ſe ſe angelico more de loco in locum transferentis, abſque corpore, prima prorſus fuit naturalis, ſecunda partim ſpontanea neceſſariaque, partim etiam libera, ac tum appetitui ſentienti, tum intelligenti tributa, organiſque ad motum procedendi opportunis. 3. vtiq; eſt ſolius animę rationalis, adiutę cognitione, delectatione, & inſtrumen-

mentis motus, aut facultate exequenti, de qua est disputatio, an astricta corpori, potuerit se sine corpore extra corpus mouere, quod Platonici nonnulli opinati sunt, & iterum corpori restituere, quod potuisse, non admitto, exutam corpore demum potuisse concedo.

CAPVT VII.

De sapientia scientiaq; Adami.

I. DIstinguit Arist. sapientiam à scientia lib. 6. Eth. ad Nicom. & lib. 1. Metap. c. 2. illam esse quandam scientiam, circa altissimas rationes occupatam, quæ quoque suam alijs præscribat materiam, contra proteruos aduersarios defendat, & particularia principia ex generalissimis principijs propugnet; hanc eiuscemodi non esse, sed inferiori materia officioque contentam. Vt vt illud sit, quod ex Philosopho intelligam, sapientiam esse quandam scientiam, sumptam fusissime, aut omnium scientiarum cumulum, reliqua omnia quæ de sapientia, scientiaque Adami adferri possunt, sub nomine cùm scientiæ tùm sapientiæ indifferenter excutiam, eamque duplicem explicabo, eam quæ est ordinis naturalis, & eam quæ supernaturalis.

II. Scientia narurali, quicquid fas fuit hominem aliquem nosse, sciuit Adamus, non è dubijs, veri similibus, aut πρὸς ὑστέροις, posteriorib. sed è primis certisque rationibus, quibus illa πρὸ ὕστερα, verisimiliaque iungebat & subtexebat subinde, munitus interim contra omnem falsitatem, vt vera pro falsis nequiuerit approbare, secundum Aug. li. 3. de lib. arb. c. 18. postulatque ea rectitudo animi, quam Adamo assignant sacræ literæ, antequam se inciperet inutilibus, ab vxore, per serpentem decepta, propositis quæstionibus immiscere, quod factum leges Eccles. 7. cap. v. 30. & D. Thom. 1. p. q. 94. a. 4. Hinc quidam hęc decerpunt. 1. De probabilibus nunquam potuisse tulisse probabile iudicium, sed certum, quo non tam efferret probabile, quam probabile esse probabile. 2. Etiam peccato nondum inquinatum, aliquod falsum decernere non potuisse, peccato autem infici nequiuisse, & ad falsa prolabi nisi præuia tentatione, ac addita aliquali inconsideratione, idque opinor sentire mecum Ludouicum Molinam disp. 26 tract. de operibus 6. dierum, & Suarez lib. 5. cap. 10. n. 15. 3. Tanta in perfectione tuendâ, singulari protectiore indiguisse.

III.

III. Enituit sapientia Adami, quando adductis, vel Dei solius impulsu, vel angelico impete, animalibus terrestribus & volucribus, cuique nomen suum prout requirebant, imposuit. Fecerunt tanti Adæ sapientem illam nominum, hebraicâ linguâ, institutionem, sacri interpretes, vt inde coniectarint de reliqua Adami eximia scientia & sapientiâ, de qua S. Chrysost. hom. 14. in Gen. ita statuit, *Qui potest congruis nominibus iumenta appellare, & volatilia cæli, & bestias terræ, quomodo non omni sapientia & industria pollet.* Clarius eam Ecclesiasticus attigit, cum cap. 17. retulit, Deum Adamum *replesse scientiâ.* Fuit hæc tanta, vt nec cœlos, nec terram, nec maria, quanquam tentarit Caietanus, Adami sapientiæ subtrahere debeamus, eique præter aliquam singularium experimentalem, vna cum rerum futurarum contingentium, internarumque cordium cogitationum & actionũ notitia illi negata, & nõ tributa, addere aliam nõ possimus.

IV. Scientijs suis norat primus homo Deum, diurna, cælestia pariter & terrena, quæque cæli ambitu & terræ, marisque gremio continentur, atque quicquid sub alicuius considerationem cadere potuit in Metaphysicis, Physicis, Mathematicis, Ethicis, politicis, ac ne Angelos excipiendos existimo, quos quantum fas est nobis è rebus conditis inuestigare, & de inuestigatis vlterius singularibus argumẽtationibus expiscari, lumine & ductu naturæ, tantum de illis scientia sua pernouit, v.g. si anima rationalis à Deo data est mundo, non esse inter ἀδυνατα recensendum, perfectiorem spiritualem substantiam, quam Angelum vocamus, effici potuisse; verisimilem esse sententiã, quæ ait existere, & id generis plura. Deum porro hac scientia, philosophorũ tantum more, ex his quæ facta sunt, licet ob immissa à Deo, & puriorem cognoscendi conditionem, vacuam impedimentis, quibus ille non detinebatur, accuratius multo.

V. Ordinis supernaturalis cognitione Adamum à Deo exornatũ fuisse, non licet dubitare. Qui.n. eundẽ in finẽ beatitatis, in quẽ Angeli & homines cæteri facti erant, fuerat productus, non potuit destitui medijs ijsdem attributis, è quibus est primum, cognitio supernaturalium, quæ vel potest ex fide, vel ex alijs etiam habitibus hauriri. Extra dubium loco, Adamum in ipsa creatione, in ectasi, alijsque in-

nocen-

nocentiæ ſuæ temporibus, non vidiſſe clarè, & vt dici ſolet, de facie ad faciem diuinam eſſentiam, de qua Ioan. 1. & Exod. 34. perſpicuè monemur, Deum in mortali corpore neminem vnquam ante Chriſtum vidiſſe; atque in falſis paradoxis numero, & Lutherani cuiuſdã Pelagianiſmum appello, potuiſſe inſitis naturæ ſolius dotibus Deum aſpectare, ſublato neſcio quo velo, aut impedimento, mox vt Deus annuiſſet. Fidem ergo habuit Adam, qua credidit vnum trinumque Deum, idq; ob verba Rom. 10. v. 14. & 17. *ex auditu*, non clare & manifeſtè, ſed obſcurè, quanquam ex claris & euidentibus de reuelante argumentis, ac Angelorum ſuggeſtione quadam, nullo ſingulariore Dei auxilio accito, ſed vi natiua tantum, data ſpecie vel non data intelligendi boni Angeli locutionem, vel etiam Dei. Credidit eâdem exaltationem mundi per verbi incarnationem futuram, initio rudi aliquâ formulâ, clariore dein in miro illo ſopore ſuo, ita ſignificante S. Thom. 2. 2. q. 2. a. 7. & 3. p. q. 1. a. 3. ad 5. Præter hæc nil quidem de lapſu ſuo, multa autem de Angelorum, iuxta id Syracidæ ca. 17. v. 10. *iuſtitiam & iudicia ſua illis Deus oſtendit*, prolapſionibus, fide diuina tenuit, & dein plura alia ad fidem, ſpem, charitatem, religionem, ſalutemque ſempiternam conducentia. Poſt fidem impertiuntur SS. Patres Epiph. de hæreſ. in præf. & hær. 48. Hieron. in cap. 5. Epheſ. Auguſt. lib. 9. Gen. ad lit. cap. 19. & non pauci alij, lumen propheticum, quo aliqua futura contingentia præuidit & prædixit, è Virgine naſciturum Chriſtum, ſuſcitandam nouam Eccleſiam, & cognata, abſque his quæ ad crucem ſpectarant. An præter hæc, rerum ſupernaturalium ſcientiam aliquam per ſe infuſam, acceperit, non adeo mihi liquet, & veriſimilius puto, vt tanto exactius ſibi Fides conſtet, collata Adamo, nullam communicatam, quanquam eiuſcemodi Theologiam, qualem nos iam doctis, in Eccleſia fulgentioribus, aſſignamus, & fortaſſis excellentiorem.

VI. Tria videtur ignoraſſe, ſingula futura indiuidua, hominum Angelorumque cogitationes, & pleraque futura contingentia, ijs potiſſimum demptis, quæ prophetico ſpiritu prænouit, & ante omnia iſta quæ ecſtatico præuidit, cum alto ſopore preſſus, ex eius coſta fabricaretur vitæ ſocia, Eua.

VII.

VII. Euam, Adæ vxorem, inferioris notæ sapientia Conditor adornauit. Quemadmodum enim sexu erat inferior, ita æquum etiam fuit scientiâ fuisse inferiorem, dictaq; tantum est data Adamo *Adiutrix similis*, Gen. 2. v. 20. Quousque se ista infra Adami scientiam protenderit, explicatu est nobis, si non impossibile difficillimum saltem. Posteros vtriusque, si in vitæ integritate protoplastus perdurasset, nulla Deus, præter diuinam fidem, aliaque adiuncta, sapientiâ cumulasset, sed tantum occasiones obtulisset, partim eruditione & doctrina Magistrorum, similem acquirendi, partim etiam angelica informatione & suggestione.

VIII. Rerum, nudæ contemplationi subiectarum, sapientia Adamum præcelluisse, & Salomonem vicisse, scripsit Benedictus Pererius cap. 2. Genes. Abulensi haud recte præferente Salomonem li. 3 Reg. c. 3. q. 7. Et quanquam Suarez cum Pererio anteponat Adamo Salomonem in politicis, non est tamen quod euincat. Quod nãque 3. Reg. c. 3. & 4. affirmat, tantum ad hos referendum est, qui lege sibi communi sapientiam parárant, his nimirum omnibus præluxisse. Quid de Apostolica & Deiparæ sapientia sit, non facile decidi potest, de quibus vnum id certum aio, supernaturalium rerum, eâque sapientiâ quæ Spiritus sancti donum est, eximios præ alijs fuisse, ijsque gratijs quas gratis datas nominant.

CAPVT VIII.

De voluntatis integritate, sanctificante gratia, & Virtutibus annexis.

I. Communi omnium consensu est receptum, non ante tentationem serpentis, quæ Genes. 3. cap. narratur, Adamum Euamque peccasse, & ex illa primò peccatum deriuatum innuit 1. Corinth. cap. 11. v. 3. Innocens itaque ante congressum cum Satana extitit primus homo, maculæ omnis expers, totus mundus purusque naturâ, mente, voluntate, quem omnis generis virtute vestiuisse ostendit cap. 17. Eccles. & 14. liber de ciu. Dei c. 10. D. August. aliorũq; SS. Patrum, quod ita expediuisse initia mundi, eiusque perfectio & ornatus, quem mundo statim in initio tribuisse Deum v. 1. c. 2. Gen. requirit, exigant, nec vlla occurrat ratio, ob quam aliqua sit Adamo

subtrahenda, ne quidem ea, quæ circa sensuum aut sentientis appetitus materiam versantur, quæ multum solent hominem frenare, limare, adornare, quemadmodum nec eæ, quæ aut pœnitentiæ, aut patientiæ, aut misericordiæ, aut libertatis, aut frugalitatis, aut magnificentiæ nomine, aut simili, indigitantur, è quibus, præter alios, vel hypotheticos saltem quosdam actus potuit, quam optime, eo tẽpore expedire; atque nec eæ, quæ erga Deum quomodocunque exercẽtur, quales sunt, religio, obedientia, amoris erga Numen naturalis habitus, si modo inter virtutes est connumerandus, æqualisq; alius.

II. Non amplissimis solummodo perfectionibus insignijt & dotauit Deus voluntatem hominis primi, verum etiam omnem de medio, certis præsidijs, sustulit rebellionem, pugnamue, quæ potuisset voluntatem inter & inferiorem vim appetendi exsurgere, data non tantum voluntati virtute, qua continenter se opponat, quod voluisse Scotum in 2. d. 29. q. vnic. spargitur, sed iniecto freno etiam sensuum appetitionibus, ne quos rectæ rationi aduersantes motus in mentem voluntatemque immittant, sitque ita totus Adamus, sine omni erubescendi occasione, quã exactissime rectus, & absque omni eo, quod propriè vel improprie peccatum, deteriore significatu, potest appellari secundum verba Gen. 2. v. 25. & cap. 3. v. 7. interprete S. Aug. lib. 14. ciu. c. 17. Eccl. 7. v. 30. & cum alijs SS. Patribus Trid. Concil. sess. 5 can. 1. & 5. Facessant proinde, qui præueniri, impugnari, molestariue potuisse, concupiscenti flamma, Adamum, ante commissum peccatum, licet non expugnari, scholastica nescio qua sententia, euulgarunt, imo etiam minus honesta reapse inferiorem appetendi facultatem, illæsis quanquam & obnitentibus mente & voluntate, sæpius affectasse, dictitarunt.

III. Quo pacto concordia ista fuerit in Adamo transacta variè varij sunt opinati, Caluinistæ plerique & nonnulli Lutherani totam causam transferunt in voluntatis diuersitatem quæ alius tunc fuerit rationis quam iam sit, nobilioris prorsus puta conditionis, vtpote affectæ arbitrij libertate, iam amissa quod humanæ naturæ nostræ dignitati, & naturæ ipsi repugnat, cui quoque etiamnum, sacræ literæ libertatem illam, copiosissime Bellar. teste loco alias cit. assignant, &

quot-

quotquot contra Manichæos scripserunt veteres Patres.

IV. Si quæ causa constituenda est, aut à vigore intellectus voluntatisque, ex iustitiæ originalis consortio proficiscente, erit petenda, quod conatus est Cæt. aut à solo aliquo dono voluntatis, auertente omnia tela sensilium desideriorum, quod annisus est Scotus, aut aliquo dono immisso concupiscenti sensuum facultati, quo stupefacta nil posset aduersus rectam rationem, quod molitus est cum Durando Ludouicus Molina tract. de oper. sex dierum disp. 27. aut ab habitib. iuxta temperantiæ, & fortitudinis, atque affinibus, qui sedem suam & in sensuum & rationis voluntate constituerint, & Dei singulari protectione, omnia turpia auertente, quod allaborauit Suarez loco cit. lib. 3. cap. 12. n. 18. aut præsuppositis habitibus, qui iura natiua facultatum moderantur quidem, sicut & vigor mentis, non tamen infringunt, quod non satis aduerterunt Cæt. Scotus, Durandus & nõnulli alij, ab vnica diuina prouidentia, summam insitarum virium procurante, miro sed vero modo, tranquillitatem, & praua omnia, sublatis opportunitatibus, vel etiam illapsu suo subducto, reprimente, quod Vasquezius est arbitratus, à Suarezio hac in controuersia vix disiunctus 1. 2. tom. 1. disp. 132. n. 30. Est nonnemo qui à quadam exacta Adami intentione, imperioque, pacem illam virium deducere satagit, sed vnde illam continuam, non satis liberam, intentionem, imperiumque, quib. iugis illa pax deducatur, occeperit, nemo alius est qui capere possit.

V. Rogant quidam, ista an concordia ad naturæ ordinem pertinuerit, quibus responsum velim, si naturæ debita spectemus, eo non pertinuisse; si effecta singula, nil supernaturale requisiuisse vtplurimũ etsi subinde intercurrerit, quod homo destinatus ad altissimum, naturæ metas superantem, finem, potuisset etiam malis sensuum affectibus ab hoc impediri; si habitus præsuppositos, sufficisse naturæ consentaneos, per accidens infusos; si denique ipsam protectionem, non tam fuisse secundum omnia supernaturalem, quam præternaturalis modi.

VI. Hactenus allata, etiam posteris Adami, nunquam exorto peccato, competiuissent. Hoc enim fine Sapientiæ liber hominem à

Deo factum inexterminabilem recensuit cap. 2. præclarè assertum à S. Aug. 14. lib. ciu. cap. 10. & lib. 4. contra Iulia. cap. 12. quo etiam loco scripsit, Tullium, alioſque Ethnicos hoc ipsum ignorasse, qui morbum viderint, fontem vnde sit subortus minimè.

VII. Quam multa rectitudinis vox postulet varijs è locis scripturæ sanctæ erui potest, è qua etiam gratiam & iustitiam sibi vendicare ex Dei institutione confirmari potest, quod de iustis, gratia imbutis, intelligatur illud Cant. 1. v. 3 *Recti diligunt te*, istud Iob 4. v. 7. *Quando recti deleti sunt?* hoc Psal. 7. v. 11. *Saluos facit rectos corde*, & 32. v. 1. *Exultate iusti in Domino, rectos decet collaudatio* Cum ergo sacer codex factum rectum hominem à Deo, quod alias monui, æstimat, haud esse dubitandum videtur, quin in principio creationis gratiâ & sanctitate fuerit instructus. Pleroſque audio fateri, ante lapsum suum gratiâ & sacroſanctis virtutibus fuisse ditatum Adamum, & non SS. Patrum modo vnanimi consensu roborauit li. 3. c. 17. Suarez, sed etiam sanctissimorũ Conciliorũ; abnuere nihilominus Alexandrũ Alensẽ, S. Bonauent. Scotũ, & quoſdã alios, magnæ authoritatis Doctores, qui astruant Adamũ vna cum illis non productum, potissimum verò non cum sanctificante gratia, quos oppugnat citatus Eccl. 7. de rectitudine locus, & alius Syracidæ 17. quo cuiusque virtutis doniq; vestis ei tribuitur, adeoque etiam supernaturalis caritatis, quæ à gratia auelli nequit, & clarius iudico asseuerari Eph. 4. Coloss. 3. & 2. Cor. 4. quando iubemur renouari in eum spiritum, in quo initio conditi sumus, iustitiâ & sanctitate in Adamo imbuti. In ipsa creatione gloria & honore coronatum præcellentissimè, cecinit psal. 8. v. 6. qui aliter sentiam? qui à gloria illa gratiam, iustitiæ formam, seiungam? Adam statim conditus, ad finem visionis sempiternæ, non secus ac angeli, destinatus fuit, quidni necessarijs, è quibus non est infima gratia, statim fuerit instructus, ac Deo fini suo gratia & charitate inhæserit? Hinc Caluinistæ, apud doctissimum S. I. virum, Adamum Contzen, contra Paræum, de gratia primi hominis scribentem, error eliminatur, non potuisse supernaturale quid primò homini conferri, nisi aut in angelum, aut in Deum transformato, id est, non homini facto; quod, si ei mica salis veræque sapientiæ superfuisset, non effutijsset,

etiam

etiam ob notissimum axioma, quod gratia non tollat naturam, sed perficiat.

VIII. Nepotes protoplasti, quod ex Adami peccato, nunc, mox concepti, gratia orbi & priuati nascantur, Rom. 5. v. 12. & seq. & Eph. 2. v. 3. certo certius, si protoplastus à rectitudine non desciuisset, cum donis gratiæ prognati, etiam in maternis vteris, fuissent, plenissimi omnibus huc pertinentibus supernaturalibus virtutibus, Fide, spe, caritate, & toto choro supernaturalium donorum, sanctitati deseruientium.

IX. Gratiam, quam, Caluinista nominatus, ineptè dolet dici hominem gratum efficere, & amicitiam cum Deo iungere, potuisset bifariam Adamus indipisci, absque vlla spontanea præparatione præuia semel, quo pacto eam excipiunt in baptismate infantes, & semel illâ vel simili præmissa, quam pœnitentes adulti suæ iustificationi præmittunt, aut suæ præmiserunt Angeli. Quæstio supereſt, vtro modorum peruenerit primus homo ad gratiam. Placuit Dominico Soto lib. 1. de Nat. & gratia, cap. 5. & alijs nonnullis, prior modus; Athanasio autem orat. contra idola, Ansel. in cap. 3. Coloss. & pluribus Neotoricis, quibus, subscribo, posterior, quem etiam Deiparæ in sua conceptione concedimus, Adamo autem, quod inter adultos ipsa in productione sua sit cooptatus, non inter paruulos, nascituros in statu innocentia, qui, ob infantiæ statum communem, nec ex proprijs, nec alienis meritis gratiam fuissent consecuti, sed connaturali consequẽtia, inde quod ex iusto Adamo, cum quo Deus ita pactus erat, traxissent originem.

X. Multa de gratia, animæ indita, animamque sanctè exornante attulimus, de gratiæ auxilijs, quibus iuuamur in salutaribus cunctis operibus, nihil prope, ac proinde nunc aio, & excitantia & adiuuantia, in omnibus supernaturalibus actionibus necessaria Adamo fuisse, non modo ante peccatum, sed ante etiã emergentem Sathanæ vexationem; in his vero quæ viribus naturæ præstare poterat, nullis opus habuisse, nisi fortassis pro auertendis indecoris, vehementioribusq; carnalibus commotionibus, aut occasionibus illarum, pro quibus singularius Deum, ne exurgerent; vigilasse asseruimus, si quãdo quid

natum

natum fuisset periculi & haud dubito eam esse S. Doctoris mentem 1.2.q. 109.a.2. imo & illustriss. Bellarm. qui lib. de gratia c. 4. primũ hominis negat tantum, in omnibus naturæ operibus singulariore intrinseca Dei ope excitante & adiuuant, eguisse, non vero inficiatur in quibusdam opus non habuisse.

XI. Beatum, sæpius, primo in statu suo fuisse Adamum, scripsit Augustinus, præcipuè lib. 11. de Gen. ad lit. & lib. 11. ciu. ac lib. 2. de Gen. contra Manich. c. 8. significans excellentiam status, in quo affluxissent, quantum viæ ratio, quam etiam in paradiso protoplastum decurrere oportebat, tulisset, omnia prope huius vitæ bonæ, idque sempiterna quadam continuatione. Quidam inter felicem & beatũ distinguit, quod felix, de magno, admodum alias desiderato, præsenti bono gaudeat, beatus de eodem similiter, sed continuato vtcũque, quo pacto Zelpha Genes. 30. felicem de filio Gad se dixit, de altero, Aser, beatam, reperitque istiusmodi beatitudinem, non illam, quam consummatæ gratiæ Theologi dictitant, primus homo in paradiso; cuius ergo cum S. Chrys. *Angelum terrestrem*, vocauit, scripsitque S. Greg. lib. 4. dial. cap. 1. *hominem*, inquiens, *in paradiso assueuisse Dei verbis perfrui, Angelorumque beatorum spiritibus in cordis munditia & celsitudine visionis interesse.*

XII. Quanquam vero tantis, & pene summis bonis, fuerit mactatus, obstitit ei tamen ad absolutam omnibus numeris, penitusq; perfectam beatitudinem vermiculus quidam, id est, quædam libertatis imperfectio, à quo potuerint omnia eius bona subuerti, per quam intelligo liberam peccandi potestatem, quæ vt Christo Deo hominique negata fuit, ita beatis in regno cæleſti negabitur, licet fuerit relicta parenti primo in paradiso; cui iustè has ob causas est relictus. prima quod viatoris instar, absque visionis claræ Dei, vnionisue hypostaticæ, singulari dono, quo solet illa præpediri, mundo militanti natus fuerit, in paradiso constitutus, *adeoque datus in manu consilij sui.* Eccl. 15. *vt ad quod vellet porrigeret manum suam.* 2. vt illa bene vteretur, omniaque peccata euitaret, atque magnam apud Deum mercedem & coronam promereretur. Nam vt est Eccl. 31. v. 10. *Beatus vir ille, qui potuit transgredi, & non est transgressus.* Non interest malè

vsum

vsum fuisse, sed interfuit bene vti potuisse. 3. vt intelligeremus vim libertatis illam hominibus infixam fuisse, tanquam grande aliquod bonum primariò, annexamque illi secundario tantum, posse delinquere, idque vt monstraret Deus, ab ipso etiam omnem salutem suã dependere, dominumque esse parandæ salutis, posseque vi sua deficere, munere diuino vero solo esse constantem.

CAPVT IX

De iustitia Originali.

I. SCio nonnunquam à sanctitate iustitiam distingui, quod illa gratos tantûm nos Deo, & coram illo sanctos siue immaculatos, reddat, hæc vero vires addat quibus ceu impellat, ad omne opus bonum & sanctum præstandum; aliquando vero non vlla ratione videri diuersa, aliquando denique iustitiam ita ampliter sumi, vt complectatur & sanctitatis & iustitiæ allatas distinctas rationes, & quicquid ad illarum complementum pertinere existimatur. Hoc vltimo modo hic iustitiæ nomen accipiendum reor, in quo primo significetur instar fundamenti ratio sanctitatis, deinde quicquid adijcere potest vires, omnis operis boni peragendi, denique quod ista omnia iuxta diuinam ordinationem magis possit complere & exornare, cuiusmodi est inferiorum cum superioribus facultatibus consensio. Disputamus enim de ea, quam præstantissimo modo habuisset Adamus, & posteri eius, si dicto audiens ille in omnibus fuisset, idque eum in finẽ, in quem ipse fuit à Deo statim ab origine sua destinatus, qui non fuit solus naturalis, sed ille supernaturalis quem beati omnes in cælis sunt consecuti de quo 1. Cor. 13. & 1. Ioan. 3. Hac è ratiocinatione liquidũ est, in ista acceptione iustitiæ, aliquid, quod radicis & fundamenti loco sit accipiendum, & aliquid quod aliud quid præsupponat contineri, istud sanctitatem initio descriptam appello, hoc cætera omnia, quæ tanquam explicatius non multo post.

II. Deduco hinc 1. iustitiam originalem naturalis ordinis non habendam, quanquam nostri temporis sectarij, cum Caluinistis Lutherani plures, ita sint opinati, quos confutat copiosè Card. Bellar. li. de Gratia primi hominis cap. 5. 6. 7. & constat ex illo, quod in ea censetur principale, nempe sanctitate, quam supra vires dari datamque

esse certissimum est, vel ex illo Eph. 2. v. 8. *Gratia estis saluati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est &c.*

III. Deduco 2. Scoti sententiam, quam explicat in 2. d. 29. q. vnica, §. *potest dici*, & in fol. ad 4. à qua fortasse non abijt Caet. qu. 95. a. 1. vno dempto, quod in sua, radicem, Gratiam, exegerit, mihi displicere, simplici in habitu, à gratia distinctum collocandam iustitiam Originalem, quo cum delectatione, magna facilitate, & vehementi quadam incitatione Adamus Deo fini suo naturali adhæserit. Primariũ enim excludit, quo fini supernaturali adhærebat, gratiam nimirum & Theologicas virtutes, & nouam affingit virtutem, prorsus inanem, nisi voluerit naturalem caritatem aliquam Dei fuisse, quæ haud dubiè ad reprimendas sensiles oblectationes non sufficisset, etiam correspondenti qualitate tributa ipsi sensuum appetitui ; quo eodem modo Henr. Gand. quodl. 6. q. 11. offendit, dum præter animæ facultates & virtutes reperit nescio quam singularem naturæ rectitudinẽ, in qua originalẽ iustitiã cõstituit, absq; immissione singularis gratiæ.

IV. Deduco 3. Dominicum Soto lib. 1. de nat. & grat. c. 5. & Greg. de Valen. 1. p. dis. 7. q. 2. pun. 2. §. *Quoad secundam*, minus rectè sensisse, in solius Gratię sanctificantis bono totam Originalem iustitiam constituentes. Nam 1. hi effingunt nouam quandam eius gratiæ vim, solam ipsam, in Adamo efficaciorem, potuisse reipsa non tantum refrenare & compescere noxias cupiditates, sed necessario compescuisse. 2. quod illi quidem id quod præcipuum est & fundamentum reliquorum, assignarint, cætera tamen tacuerint, non minus necessaria ad tam felicem statum, & cum primis singularem Dei protectionem, alias à me insinuatam.

V. Deduco 4. Non posse eos probari, qui in quodam appetitus sẽtientis habitu iustitiam Originalem locarunt, quo omnis rebellio carnis aduersus spiritum ablata fuerit, statim creato homine, quod putarunt Dur. in 2. d. 2. 20. q. 5. Bonauen. Alẽsis, & alij, locis superius citatis, asserentes, absque sanctitate supernaturali hominem productum fuisse: Qui non modo potissima negligunt, ea quæ sunt animæ, mentis & voluntatis, sed vane etiam arbitrantur habitum aliquem omnino impedire potuisse non modo corporis defectus qualis glo-

rifi-

rificatis dono immortalitatis ſemper adeſt, ſed etiam libertatem leuiter grauiterque peccandi, ante Satanæ tentationem abſtuliſſe.

VI. Deduco 5. Aliud de iuſtitia Originali ſtatui non debere, quam perfectam quandam & ſupernaturalem animæ ac facultatum inſitã ſanitatem, & etiam naturalem tum animæ tum corporis notare & ſignificare, addita ſingulariore Dei protectione, omnem vitioſæ ignorantiæ, deceptionis, erroris, peccati & turpium motionum vim cõprimentem His enim omnibus perfectio excellens Adami & poſterorum, quam nomine iuſtitiæ originalis complexi ſumus, qua plene fuerint iuſti, continetur, & plerumque etiam (inuiti ſubinde aliqui) omnes Theologi ad iuſtitiam originalem aduocant, poſteriores cum primis, Suarez. 3. p. to. 2. diſp. 4. 5. 6. Vaſquez eodem to. diſp. 119. n. 15. & 16. & reliqui, vt defendant Deiparam in conceptione ſua iuſtitiam originalem non recuperaſſe, eam ob cauſam, quod ob peccatũ Adæ, ſicut morti, ita etiam fami, frigori, alijſque incommodis, quæ ob perſeuerantem charitatem, ſi non defuiſſet, ab Adamo protector Dominus amouiſſet, obnoxia fuerit, vt propterea, horum vacuitatem per immortalitatis donum, iuſtitiam originalem exegiſſe, videatur indubitatum.

VII. His ita diſcuſſis, nulla difficultate expedietur illa quæſtio, ſitne ſupernaturalis iuſtitia originalis, & haud dubie ſpectatâ gratiâ, doniſque ſupernaturalibus, naturalis dicenda haud erit, ſed ſupernaturalis, horumque ergo tota congeries; ſpectatis verò his, quæ ad naturæ rationalis ſanitatem naturalem attinebant, & comprimebant malas commotiones, omnemque rebellionem & prauas inclinationes, peccandique deſideria, quidam, Vega cum ſuis putarunt naturalem fuiſſe, rectius vero reliqui ſupernaturalem, quod licet circa naturalia hoc modo ſeſe occuparit, non tamen vi vllâ per naturam conceſſa, aut concedenda, aut idonea ad concedendum, ſed ſolo diuino munere.

VIII. Ex his ſupereſt vnius adhuc rei deciſio, quæ videlicet comprehendat iuſtitia originalis, & affirmo, ea dona, quæ fuiſſent Adamo non offendenti cum poſteris communia. Primo gratiam animæ inhærentem. Secundo vna cum prudentia & fide diuina, eam protectionem

50. 49. 48. 47.

ctionem, quæ omnem deceptionem, errorem & vitiosam ignorantiam abstulisset. Tertio dona omnia supernaturalia & virtutes voluntati consecratas, cum ea diuina sollicitudine, qua omne ante diabolicam tentationem peccatum euicissent. Quarto rebellionis euitationem & vacuitatem, illam qua inferior portio insurrexisset in superiorem. Quinto incommodorum corporeorum & mortis, vna cum immortalitatis largitione immunitatem. Præter hæc nil amplius, vt proinde Adami infusa scientia, & eius generis, si quæ fuerunt alia, huc non spectarit, quod illa tantum, quæ posteri in Adamo amisere, & obtinuissent à natiuitate, si parens stetisset, iustitia originalis postularit, inter quæ scientiam dictã numerare non oportuit.

IX. Auctarij instar addi posset, neque Anselmi, neque Scoti, & adhærentium, dicta placere, quibus contendunt, data hypothesi, Adamum innocentiam suam non violaturum; fore, vel post primam pugnam, omnes in gratia confirmandos, sed eorum, cum S. Tho. 1. p. q. 100. a. 1. suam mentem ex S. Aug. l. 4. ciuit. c. 10. lib. 1. retract. c. 13. & lib. 9. de Gen. ad litteram. c. 3. mutuante, quibus visum fuit posteros, donec ex hoc mundo fuissent translati ad alteram vitam, in periculo semper peccandi victuros fuisse, aliquosque peccaturos, & non omnes inter sempiterne electos numerandos, quantumuis Adamus nullo crimine commisso ad beatitudinem fuisset transcriptus. His minime refragatur, si qui offendissent, pœnitentiam agere potuisse, quin imo pœnitere licuisse, viæ, quam inire debuissent ad cœlestem patriam, fuisse admodum consentaneum.

X. Verisimile est, non modo electos & prædestinatos, qui nunc post lapsum tales censentur, statu innocentiæ perdurante salutem consecuturos fuisse eâ gratiâ, quam nunc efficacem defendimus, sed etiam mere sufficiente, quosdam soli prouidentiæ communi, supernaturalique subiectos, atque ita plures saluandos tunc quam iam, & perpaucos pœnis æternis addicendos fuisse, eluxissetque sufficiens vis omnis præuenientis siue excitantis gratiæ, atque non minor hominum copia extitisset in mundo, lapsu nunquam futuro, quam iam extitit, extat & extabit post lapsum, quod friuole aliqui negarunt.

CAP.

CAPVT X.

Corporis præstantia.

I. CORpus accepit protoplastus magnum, cuiusmodi est hominis adultæ & virilis ætatis, sanum, vegetum, robustum, integrum, bene auctum, pulchrum, non turpi giganteâ mole aut pygmæorum nanorumue breuitate, accedente calculo. S. Augustin. qui minus negat his in rebus accidisse Adamo, quam ceteris tunc creatis animantibus, iuxta conditionem suæ naturæ productis statu perfecto, lib. 1. de peccat. merit. & remiss. c. 37. vna cũ laureola immortalitatis, atq; vel tale quale fuit hominis ex Eua nati illo sæculo primo infantis, qui ad trigesimũ vel vt alij 50. vel 60. ætatis annum pertigisset, iuxta Benedictum Pererium, aut quale Christi iuxta S. Hier. ep. 27. ad Eustoch. moriẽtis finito 33. ætatis anno, & tribus mensibus, inchoato 34.

II. Quibus non obstat Iosue cap. 14. v. vlt. vbi Adam maximus dicitur à quibusdam numeratus inter gigantes, qui vere, nec vt gigas, nec vt maximus hominum istic recensetur. Non est enim, in eo textu, Adę, proprium nomen, sed appellatiuum, hominem maximum corpore & dignitate significans, qui fuerit vel Caleb, vel verius Toleti testimonio in c. 19. Ioannis, Arbee. Vide Nic. Serarium in cap. 14. Iosue 4. 5. Vnde colligo Adamum non sepultum in Hebron, sed quod multi asserunt in monte Caluariæ, aut quod panegyrico 7. Martinus Delrius, & Villalpandus in apparatu vrbis Hierosolymæ, lib. 1. cap. 9. probarunt fuisse in duobus locis sepultum, primo quidem Cariatharbe, siue Hebrone, deinde vero in Caluariæ monte.

III. Catholica fide credendum assero, Adami, si à peccato abstinuisset, immortale corpus prorsus futurum fuisse, quod Rom. ca. 5. v. 12. dicter, mortis ostium fuisse vnicum peccatum. Immortale igitur corpus accepit Adam, non quod mori non potuerit, sed nequiuerit Dei benefica manu assistente, dum non peccasset, qui si non peccasset, nunquam mortalitatem persensisset.

IV. Conseruandæ immortalitatis gratia, erant intrinseca ei posteriue plurima collata subsidia, scientia inprimis, Adamo spectato cum Eua, aut posteris spectatis, aliqua Dei defensio ab ignorantia,

50. 49. 48. 47.

errore, deceptione; prudentia deinde, animi moderatio, inordinatarum perturbationum orbitas, virtutũ omnium ſanctarum que actionum amor, ac præter hæc, etiam extrinſeca, cibi, ſcilicet, alimentaq; commoda, rerum noxiarum præcluſio, fortuitorum & infortuitorum caſuum amolitio, erga innocuos paradiſi homines beſtiarum & infidorum hominum (ſi qui fuiſſent) timor & reuerentia, angelica cuſtodia, diuina protectio, aëris clementia, cœli & omnium rerum fauor, virium recuperandarum præſentiſſimum pharmacum, arbor vitæ.

V. Corpus formatum obtinuit, iam creatis rebus omnibus alijs, extra paradyſum ſexta die, tanquam rerum omnium ſumma, compendium & complementum. In hunc poſtquam conditus eſt, non eſt deductus, ſed perinde abreptus atque Abacuc ab Angelo è Iudæa in Babylonem. *Tulit enim hominem Dominus*, ait Gen. c. 2 v. 15.

VI. Viuebat ſpirabatque Adami corpus, perinde ac noſtrum, atque, debilitato humido naturali, non ſecus nutrimento atque nos vtebatur, niſi quod præſtantius aliquid ad tuendam immortalitatem à Deo præſcriptum habuerit, fructum arboris vitæ. Non erat porrò, Adami vita, tantum contra internum, indies depaſcentem aliquid, hoſtem munienda, verum etiam contra externos varioſque caſus, ob quos illi Ludouicus Molina aſſignauit inhærentem aliquam qualitatem, ex qua fuiſſet inſtar glorioſi corporis impaſſibilis, ab igne, aqua, gladijs, alijſque enecandi, cædendique modis ſecurus; qui videtur quidem nihil attuliſſe ex his, quæ fieri nequeunt, ſuperuacaneum tamen. Si enim ab interno corruptionis aliquid ſenſit, quod in controuerſiam nemo vocat, etſi remedio præſentaneo inſtaurandum, cur non potuit lædi ab externis, ſola corporis diſpoſitione ſpectata, & inhærentibus qualitatibus. Vt non læderetur, alia habuit ab illa qualitate, & cum primis præter inſignem partium omnium temperationem, inditam prudentiam, curam & ſollicitudinem, communicatam temperantiæ & fortitudinis virtutem atque moderationem, ſingulare diuinum munimen, quo contra aduerſantia omnia præſeruabatur, ob quod & beſtiæ & inſani aliqui homines nunquam homini paradiſiaco nocuiſſent, arbitrorq; aliud S. Thom. 1. p. q. 97.

non

non sensisse, imo nec Scotum à mente S. Thom. procul abijsse, quãuis ille internis fere tantum principijs, præmunitum hominem contra inimica omnia existimarit, hic solis prope tantum externis Dei protegentis, quantumuis aliter hos sentire contendat, Suarez li. 3. de oper. 6. dierum c. 14. n. 11. qui tamen se corrigit ibidem n. 19. c. 11.

VII. Ex his abunde constat, quam procul à Pelagij errore distemus, Pelagius enim non modo iactauit hominem mortalem, sed moriturum quoque, si lapsus etiam non fuisset, & quidem non sine dolore, mortemque in genus humanum introductam non esse per præuaricationem Adæ, quod ex Synodo palæst. retulit S. Aug. epist. 106. Exploditur vero iste error loco Gen. 2. v. 17. *Quocunque enim die, &c.* & illo cap. 3. v. 19. *In sudore vultus tui vesceris pane*, donec &c. atque illo Rom. 5. v. 12 *per peccatum mortem pertransijsse*, eoque Sap. 1. v. 13. & cap. 2. v. 23. & 24. quod Deus mortem non fecerit, sed inuidia diaboli in orbem intrauerit.

VIII. Constat deinde, cum Caluinistis Lutheranos non paucos allucinari, qui immortalitatem Adami natiuam & è naturæ principijs attributam somniarunt, quos dubio procul ipsa corporis materies & conditio insita, quæ est eadem cum nostri mortalis corporis, redarguit, & is Sap. 2. v. 23. quod Deus eum inexterminabilem condiderit, atque quod eguerit ad sui conseruationem alimento, vel arbore vitæ. Ob hæc Aug. perscribit lib. 7. de Gen. ad lit. c. 25. hac de re hisce, *Corpus Adami mortale erat, quia poterat mori, & immortale, quia poterat non mori, &c.* Mortalis ergo erat conditione corporis animalis, immortalis autem beneficio conditoris, non vero gratuito illo munere corporibus glorioſis impertito. Exposuit hanc hominis immortalitatem idem Aug. lib. 1. de peccat. mer. & remiss. c. 3. Similitudine sumpta ab Israëlitarum vestimentis & calceamentis, quæ per 40. annos in deserto nõ sunt obtrita; & ex eo statu, quo nunc Enoch & Elias perfruuntur. Si asseras, quomodo, si beneficio Dei immortalitate donatus fuit, sit verum, potuisse Adamum mori, & potuisse non mori, respõdebo, inde veritatem obtinere, quod eius in arbitrio fuerit peccare & non peccare, non peccando retinuisset beneficium, ac non fuisset mortuus, peccando amisisset, sicut reapse amisit, & mortuus est.

IX.

IX. Eodem ex Dei dono accidisset, nullis corporis incommodis morbis frigore molesto vel calore, alijsque doloribus ægrum durumque quid perpeti potuisse Adamum, quod diserte tradidit. S. Aug. li. 13. ciuit. c. 33. & lib. 14. c. 26. & constat ex pœnis post peccatum Deo illatis, quibus primo introducitur dolor, ægritudo, aliaq; incommoda, atque quod prorsus fuerit *inexterminabilis* effectus.

CAPVT XI.

Loci præstantia siue paradisus.

I. QVæ de paradiso attulit in medium Moyses, ea omnia posse plane & plene à mortalibus ad amussim explicari, difficultatibus omnibus exhaustis, cum S. Ambr. negasse videtur S. Aug. ac reor nec dum omnia accuratissime explicata. Hunc, homine formato, conditum & consitum existimauit S. Basilius, & alij aptius ab initio plantatum ante hominem, tertio die creati mundi, cum reliquis plantis, cultiore quamuis Dei manu. Talem per omnia fuisse, qualem cap. 2. Gen. describit historico & literario sensu proprio contra Philonem lib. de opificio mundi & Originem super Genes. S. Amb. non officiente, communi reliquorum interpretum voce confitemur & defendimus, in quem delatus sit Adam, in quo tentatus, in quo legem transgressus, animalia nominarit, vxorem obtinuerit, quem irrigarit fluuius in quatuor partibus, de quo tandem eiectus transgressor, & his complura, toti mundo nota, acciderint.

II. Literario sensui non aduersantur mystici, quos probabimus, si literæ velut fundamento insistant, carpendosque monuit S. Aug. l. 8. de Gen. ad lit. iam litera recte intellecta, quem literario præsuppositio sectatus est S. Ambr. in carmin. sup c. 2. Gen. & cum illo Reuerendissimus Atrebatensis Episcopus, Franciscus Richardotus, in suo Eccleiast. siue oratione Theologica parænetica ex Adami & Euæ lapsu instituta.

III. Inter gratias referri posse paradisum cuidam nuper cum Caluinista Paræo fuit controuersum, sed nullus ambigo cum Bellarmin. non secus inter gratias, extrinsecus homini apparatas, referendum, atque ipsa angelica conuersatio, fidei annunciatio, Ecclesiæ cœtus,

&

& similia, atque sibi vendicasse paradisum plus quid singulare, quam terræ totius natiuæ & communes affectiones ferant, compertissimũ habeo, ac proinde quoddam gratuitum munus à Deo impertitum.

IV. Terram totam fuisse illum singulariter à Deo plantatum paradisum, voco absurdum: toto Oceano nostro ab orbe distitisse, quod apud Barcepham legitur, censeo parum prudens paradoxum; sub æquinoctiali situm, antemuralis instar adiunctum zonæ torridæ, quantumuis Scotus voluerit, iudico vanum; hortum 40. vel 80. aut iugerum aut milliariorum etiam, quæ est opinio Abulensis, tantum fuisse, non satis pro dignitate loci arbitror augustum; in montibus altissimis adusque concauum lunæ, aut sphæram ignis eminuisse, & adhuc alicubi eminere dico vel incredibile, vel non admodum verisimile; in loco hominibus, post Adamum viuentibus, ignoto constitisse, hodieque durare, puto parum probabile, vel satis incertum; credo vero in orbis habitabilis, maioribus tempore Cæsaris Augusti cogniti, plaga Orientali, quam è paradiso eiectus, coluerit proxime, protoplastus, extitisse, non solum veritati valde consentaneum sed indubitatum prope æstimarem, nisi me Doctorum magnæ authoritatis, aliter adhuc sentientium, deterreret iudicium, circa Mesopotamiam & Armeniam, ea in regione, quæ Heden, licet non illa, cuius meminêre Esaias 37. & Ezechiel 27. sit appellata, olim constitisse, quod ita 70. interpretum adiuti calculo, qui ad orientalem mundi plagam situm fuisse transtulerunt, plures Neoterici docuerint, & ante hos nonnulli Græci Patres, quodque ita suadeant flumina, loci salubritas & pulcritudo, & confluxus primus hominum versus eũ locum. Magnitudine præstans aliquod regnum æquasse, aut nonnihil vicisse est credibilius, sicut quoque aliquam non exorbitantem loci altitudinem monstrasse, collibus perpulcre exornatam, salubritati fæcunditati & fertilitati valde opportunam, qualis non est montuosa pars aëris, proxima secundę aëris regioni, quod mirum nõ aduertisse Suarez l. 3. c. 6. n. 31. cui plurima Deus præter naturæ ordinem contulerit, vt in eo velut iuge ver vigeret, iuxta SS. Patrum doctrinam.

V. Si Adamus iugiter obsecundasset, & nepotes posterique tanto-

pere excreuissent, vt multitudinis vix capax fuisset paradisus, à multis asseritur omnes illos obsequentissimos, nihilominus in vnico paradiso perstituros, & victuros fuisse, nullumque in reliqua terræ portione, atque semper post aliquot annorum centurias, quosdam in cœlum migraturos fuisse, qui succedenti multitudini locum fecissent; quod si aliqui offendissent, hos expellendos ab illa loci felicitate; peracta pœnitentia, si modo eam instituissent, reuocandos. At, quid vetat adhærescere sententiæ alteri, quæ est Benedicti Pererij l. 3. in Gen. disp. de paradiso q. 3. qui, ne frustra fuisset residuum terræ spatium, inutile prope exulibus, quod peccatores perpauci futuri fuissent, & ex his plures breui mora ad emendationem, si subito non occubuissent, seriam reuocandi, sentit paradisiacos potuisse libere, liciteque paradisum exire, & sedes etiam suas in alias terras transferre, quas ita excoluissent, traducta etiam ad illas per sementem arbore vitæ, & alijs delicijs, vt noui paradisi videri potuissent, quibus etiam Deus prosperrima quæque alia communicasset, quod non est improbabile, significatum Gen. c. 3. v. 20. & Esaiæ 45. Hoc statu primus paradisus regiæ instar ob præcipuam suam nobilitatem, cultus fuisset, è quo omnia, ad degentes extra illum, deriuata fuissent gubernationis effecta.

VI. Duo vir doctus opponit, alterum, non aliam tentationem ex qua potuissent delinquere, habituros fuisse Adami nepotes in paradiso, quam ex arbore scientiæ boni & mali, quæ defuisset his, qui extra paradisum degissent, quos tamen in crimen incidere potuisse iam alias concessi: alterum, locum reliquum terræ, à paradiso seiunctum, non fuisse immortalibus consentaneum, vtpote, qui afflictionis potius fuerit, quam oblectationis locus, in quem mali eijciendi, ac proinde non potuisse in eo commorari. His factum satis arbitrabor si ad prius respondeatur, è solo tentatore diabolo, vel ab eo decepto, tentationes tantum in paradiso futuras quidem, non tamen ex sola arbore scientiæ boni & mali, quæ tantum Adamo & Euæ singularius erat interdicta, sed ex quauis materia alia, quod docent alia Adami & Euæ peccata, ab intemperantia distincta. Et potuisset ne ea arbor plantari etiam extra paradisum? Et vt videtur illi viro difficile, homi-

nes

nes extra paradisum habitantes offensuros circa arborem illam, ita nobis etiam, eos ex illa conspecta potuisse committere scelus, qui multiplicatis hominibus in fine paradisi vitam egissent, quos nihilominus peccare potuisse, habetur verisimilius. Ad posterius, conditionem terræ reliquam in melius commutandam, & à pœnæ incommodis transferendam ad delicias.

VII. Paradisum interijsse asserui, ex verisimiliore opinione tantũ, oppositum omni sua verisimilitudine non spoliando. Scio enim à viris doctis etiamnum multis argumentorum coloribus probabile redditum, paradisum adhuc extare, eumq; aut exemptione, nescio qua, nil à diluuio perpessum, aut non in ea mundi ora, quæ inundarit extitisse, aut in altis montibus mediam regionem aëris, è qua depluit Deus cataclysmum, hęsisse, aut sub vndis perinde atque olea alicubi in altioribus rupibus hærente, quam cessante inundatione intulit in arcam Noë columba Gen. 8. v. 11. viruisse, incolumẽque perdurasse, alioue modo à calamitatibus immensarum pluuiarum permansisse liberam. Verum quod Gen. 6. v. 23. legam *disperditam terram*, v. 17. ibidem, *vniuersa, quæ in terra sunt, consumpta*, vel secundum substantiam, vt interpretantur, vel secundum pulcritudinem, & c. 9. v. 11. *diluuium dissipasse terram*, totamque omnemque non excepto alicuius momenti locello, ideoque eam cumprimis, quæ erat fæcundarum glebarum, qualis fuit paradisi, vicinius veritati credidi deperijsse paradisum, eiusque præter terræ fundamentũ, nihil superfuisse, Deumque etiam arbores illas nobilissimas sustulisse.

VIII. Superfuêre equidem Noë diligentia plurimarum arborum & fruticum semina, ex altissimis terræ locis, duritie celebribus, etiam arbores aliquę & frutices, vt inde species rerum, quæ datæ erant terræ, extra paradisum restituerentur, sed tamen paradisi in minus alto loco existentis, ac in nobilissimæ conditionis gleba, nihilum superfuit. Confirmat me magna hominum huius & superiorum sæculorum sollicitudo, qui & hactenus nusquam angulum pro reliquo paradiso vestigare potuerunt, & coniecturas dederunt, in partibus necdum vestigatis apte haud posse collocari, vt inde concludam flammeum gladium, & Cherubinos, custodię paradisi tantum collo-

catos ad vsque certam periodum, qua esset corrumpendus paradisus, ad tempus vsque Noë permansisse.

IX. Scrupulum inijciunt aliquem S. Aug. lib. 2. contra Pelagium & Cælestium, de peccato Orig. c. 23. verba, dum inquit, *Qualis vel vbi sit paradisus, vbi constituit Deus hominem, quem formauit expulere, quæstio est præter fidem, cum tamen esse illum paradisum fides Christiana non dubitet.* Eximetur hic si respõderis agere Augustinum de sensu litterarum sacrarum, an in eo sit & extet paradisus, non metaphoricus sed proprie dictus, & fidem Christianam non dubitare esse proprie dictum, in sacris scilicet libris descriptum, aut esse à Deo creatũ, vti Suarez exponit, & sic contra Originem firmiter statuendum, ac proinde non vrgere fide diuina tenendum adhuc in rerum natura extare; atque non raro authores quidam non sunt adeo religiosi in verbis, vt non quoque esse pro fuisse vsurpent, si de præteritis potissimum sit sermo, & quęritur creatumne sit aliquid an nõ. Quamuis vero aliquot Patres hac in sententia de paradisi interitu nobis aduersentur, non ideo vertenda sunt vela, quod affirmauit vtcumque Augustin. hac in re arbitrarium esse, quod verisimilius quis repererit, propugnare salua & illæsa caritate. Vide Benedictum Pererium loco citato.

X. Quærunt Antagonistæ Henochum, quem translatum scribit Gen. c. v. 24. & Eccle. c. 44. v. 16. iuxta vulgatam latinam editionem, in paradisum. Non hic ego opem à sectarijs flagito, è quibus Lutheranus nuper non erubuit astruere Henochum in cœlum delatum viuum, atque frui Dei vnius & trini clara visione, quod cœlum nullis hactenus, Christo quoque necdum nato, nisi damnatis, fuerit clausum; quod iste sentit contra aperta verbi diuini testimonia, Eph. 4. v. 8. Hebr. 9. v. 8. & alia, etiam ille quibus statuitur, *Non me videbit homo & viuet.* Aio vero aut vitio librariorum in textum irrupisse voculam, *in paradisum*; aut verius initio in paradisum, inibique tamdiu vixisse, vsque dum in rerum natura perseuerauit, postea vero in alium tranquillum locum, sublimioremque aëris regionem, vel aliam, collocatum, in qua cum Helia curru igneo eo rapto, degat; hanc norit Deus & sancti, suisque dioptris, tubis, astrolabijsque noui mathematici,

nec

nec in luna, nec in astris alijs assequentur.

XI. Varie meretur commendari paradisus, primò ab aëris tranquillitate, salubritate, claritate, amœnitate. 2. A terræ nobilitate, fæcunditate, gratissimo colore, pulcritudine. 3. Ab aquarum copia, perspicuitate, suauitate, eximiaque & varia vtilitate, atque à fluuijs, quos reliquis terris suppeditabat. 4. Ab herbarum, fruticum, arborũ præstantia, forma, omni lolio, vrticis, spinis, quæ obessent elegantiæ exauthoratis. 5. Ab omnis generis varijsque coloribus distinctis, volucribus, delicatissimi cibi ministris, & mirarum aliarum proprietatum possessoribus. 6. A piscium stupescenda multitudine, magnitudine, diuersitate, commoditate & oblectatione. 7. A quadrupedibus, ferisque, cœterisque animantibus, quæ partim in paradiso vixissent, aliter opinentur licet nonnulli, partim ad nutum Adami in paradisum euocatæ fuissent, hominibus obsequentissimis, mirabilissimarum naturarum nonnullis. 8. A cura singulari, arte, industria, & elegantia, quam illi adhibebat doctissimus agricola Adam. 9. A visitatione diuina & angelica. 10. A sanctitate loci, qui vt cœlum nequijt Luciferi, ita dignitas paradisi diu non potuit Adami peccatum sustinere.

CAPVT XII.

Arbor vitæ, & altera scientiæ boni & mali.

I. TAntum symbolicas & mysticas, Origines, arbores credidit, contra explicatissima sacræ scripturæ testimonia, quæ sic Gen. 2. v. 9. lignis reliquis mundi, accenset lignum siue arborem vitæ, & alteram scientię, statuitq; in medio paradisi, vt ad tropum traduci recte nequeant. Arborem vitæ, hhetziaym, lignum vitarum, sacræ litteræ nuncuparunt, eamque non signum modo vitæ exhibuisse, quod ex hæreticis quidam Artopæus docuit & Augustinus Eugulinus, sed veræ & corporeæ vitæ altricem & promotricem fuisse firmiter teneo, quæ etiam à senio & morbis hominem liberasset, omnique melancholia & noxio humore, atque florentissimæ iuuentuti reddidisset, quod colligendum intelligo ex verbis c. 3. v. 22. lib. 1. Moysis, quæ hac aposiopesi loquuntur. *Nunc ergo ne forte mittat manum suam & sumat*

etiam de ligno vitæ & comedat & viuat in æternum, supplenda autem est aposiopesis hoc modo; Nunc ergo, cauendum est, ne forte mittat manum, &c. quibus edixit Deus, etiam cessantibus status innocentiæ Sacramentis aut signis, vim protelandæ vitæ arborem illam possediſſe.

II. Aiunt cum S. Thom. 1. p. q. 97. art. 4. multi, insita & natiua vi illam arborem promoturam fuisse hominum illam vitæ conditionē: alij cum S. Bonauent. cui subscribit Card. Bellarm. vi supernaturali, ad instar N. L. Sacramenti. Illi arborem à reliquis arboribus natura discriminarunt, ac eius fructum semel sumptum multo tempori tantum, non vero omni seruiturum, sæpiusque opportunis temporibus sumendum voluerunt, vt sempiternum viueret; qui vero se S. Augustini sectatores profitentur, l. 3. de ciuit. c. 20. & 23. hi vnam de vulgaribus fuisse autumarunt, eiusque fructum semel tantum perceptum, pro tota æternitate profuturum, & sumendum opinati sunt paulo ante translationem ad cœlestem beatitudinem. Posset hæc sententia mitigari, vt multo verisimilior appareret, sed cogit me arboris, quam semper de ea concepi nobilitas, vt priori opinioni, quæ est Angelici Doctoris astipuler, ac hinc multum confirmatur, quod eius vim peccato completo permansuram pronunciarit c. 3. Genes. v. 22. quando vis supernaturalis non poterat arbori amplius esse relicta, omnibus supernaturalibus ob crimen subtractis.

III. Rogat ex Ruperto l. 3. de Gen. c. 30. nonnemo, cur Genes. 3. Deus dixerit, *ne forte mittat manum suam, & sumat etiam de ligno vitæ, & comedat & viuat in æternum.* Prima fronte enim lecta indicant semel sumptum fructum æternam vitam potuisse communicare; cui respondeo, non affirmari vt semel sumat & viuat, sed sensum esse, sumat quantum satis est ad eum finem sempiternitatis, & ita viuat siue è trina, siue copiosiore sumptione. Apta est responsio, quod restitutio futura ex arboris fructu, non debuerit vincere statum, quem acceperat homo, statim ab initio, sed illum tantum reddere, & reddito relinquere naturę conditioni, depascenti per insitum calorem vitalē rursum humidum radicale, hominemque debilitanti, tandemque ad pristinam necessitatem resumendi fructum ligni reducenti.

IV.

IV. Vnica erat arbor in paradisi medio, non acuta mathematicorum, sed vulgari designatione, sita, seminis collatrix ex benedictione, cuius meminit Gen. c. 1. v. 22. oportuitque, ne corruptioni obnoxia arbor, secundum speciem quoque prorsus interiret aliquando. Vnde deduco ad multa millena millia annorum vnicam illam non suffecturam, quod non aduertit Rupertus loco cit. substituendam vero aliam, quæ pari virtute produxisset hominum sanitatem & vitam, quod nonnulli non concessere legentes Ioan. Scoti in 2. d. 16. vestigia.

V. Eius arboris fructus, & cibum contulisset, & Alexipharmacum, instaurassetque Alexiterij more manducatus nutritionis vires, calorem & humorem natiuum, quem aiunt radicalem, & cibi modo totam hominis conditionem, in primogenium statum, induxissetque simul vim medicam aliquam, etiam vi sua, in ipsam substantiam humanam, qua admodum diu tueri se contra multa mala potuisset, pedetentim licet corrumpendam, donec de nouo delibatus arboris fructus rursum deperdita instaurasset, & frequenti sumptione sua æternum viuere homini impertiuisset, quod Aristot. videtur inficiatus, cuius est sententia lib. 3. metaph. t. 15. contra Hesiodum, asserentem, Ambrosia vescentes reddi immortales, *Quidquid cibo vescitur, natura sua senescere & emori tandem*; atque etiam Scotus capere vel non voluit, vel non potuit, qui cibi instar tantum putauit reparasse absumpta, & tantum non valuisse reponere, quantum vi caloris fuisset absumptum.

VI. Insurgit in hæc etiam Caët. regulis physicis, quas actionis & reactionis disputatio exigit, qui ob illas putat, fructu arboris in corpus agente simul vim eiusdem fructus à corpore retundendam fuisse, ideoque nunquam plene damnum debilitatarum virium acceptum in corpore humano, resarcire potuisse, atque tantum nunquam futurum fuisse è fructu emolumentum, vt tribueret demum sæpius sumptus vitæ sempiternitatem. Æstimo vero istam Caëtani subtilitatem flocci, quod & non ita fuerit limitata vis eius fructus, vt tantū potuerit impar reddere, & non par illi quod deperditum fuerat, & perpeti debuerit aliquid vicissim ab humano corpore, sed fuerit tanta,

50. 49. 48. 47.

ta, quę hoc vel quid simile potuerit in hominem, quod magnus ignis in guttam aquæ, à qua quid tanto igni per reactionem, quam statuũt, detrimenti accedit? quod eo minus obtigisset nostro fructui, quod simul vi medica, quam ei creator indiderat, damnum omne suum impediisset, & perinde se habuisset ad corpus instaurandum atque magnes ad se rapiens ferrum, vinum calefaciens ventriculum, atq; sol insecta hoc in mundo producens.

VII. Sic è fructu vixisset æternum homo, naturalibus quidem ex causis, à Deo singularius prouisis, non tamen sine addita aliqua succurrentis Dei singulari protectione, qua extrinseca incommoda, pestilentis aëris, hostilis incursionis, & affinia abstulisset, vt hanc ob causam non plane naturalis dici possit, ex causis partim intrinsecis, partim extrinsecis, immortalitas hominis, sed, ex aliquo modo præternaturali, immortalitas præternaturalis, aut etiam supernaturalis, spectatis multiplicibus donis, ordinis altioris huc deseruientibus, & alia Dei beneficia extraordinaria inter quæ etiam posset annumerari talis actoris vitæ communicatio, & paradisiacus status.

VIII. De esu & manducatione hominis in paradiso, persuasum cuidam fuit, futuram fuisse sine siti & fame, quod vt eliminandum existimet, sic explico. Per sitim & famem intelligenda est, siue molesta, siue non molesta, partim calidi & sicci, partim humidi & frigidi appetitio. Si molesta intelligatur, nulla eiuscemodi sitis fameque fuisset in paradiso; sin', non molesta nimirum, absque dubio persensisset, non aliter quã humidi radicalis aliquem defectum.

IX. Quæstio est noua, an de hoc fructu victitarint ante expulsionem primi parentes, &, victitasse, posset ex his, quæ ad serpentem dixit Eua cap. 3. v. 2. & 3. propugnari, *de fructu lignorum, quæ sunt in paradiso vescimur, de fructu vero ligni, quod est in medio paradisi arboris, scientiæ boni & mali, præcepit nobis Deus ne comederemus.* Verum quod obseruauerint interpretes, illum indicatiuum, *vescimur*, vsurpari nõ raro sensu quodam potentiali, vescimur, id est, licite vesci possumus, inde nullum capi potest patrocinium. Non est deinde credibile Euã de omni omnino ligno paradisi tam breui tempore, quo incoluit paradisum comedisse, quamuis respondentis serpenti sensus fuerit, *de*

omni

omni ligno paradisi vescimur. Denique probabilius habendum necessitatis fuisse lignum, arborem vitæ, ac nulla indigentia adhuc premente non degustandum. Interim si sumpsisset, quorundã opinione, vltra annos & tempus Mathusalem victurum fuisse Adamum, qui iã multo ante viuere destiterat. Culpat non male quispiam Adamum, quod statim lapsus vtilem arborem non degustarit, vel ad cautelam; vetitâ solâ contentus, cui adhæserat è futili curiositate.

X. De arbore vitæ sat disputatum est, nunc, vt de illa, ita de arbore scientiæ boni & mali disputemus, & initio, vnde sit hoc nomen nacta, an à fallaci euentu abs Dæmone promisso, *Eritis sicut Dij*, an ab ipso infausto euentu, quod non displicuit Suarez lib. 3. c. 21. quo resciuerunt se in mala incidisse, & multa bona amisisse; an à comminatione Dei, qui erat comminatus experientiam malorum per peccatum, adeoque boni & mali, cum ingenti calamitate ediscendam differentiam, si legem positam transilirent: & haud dubiè, quod statim posita arbore homineq; creato, ac delato in paradisiacos hortos, auditus sit Deus comminans mala, hinc solummodo nomen suum scientiæ boni & mali traxit.

XI. Hinc deliria & aberrationes quoque multorum euanescunt, cumprimis mendacis diaboli, fore gustato fructu, vt fiant homines Dij, habeantq; supremam aliquam boni & mali scientiam. 2. Iudæorum somnium, hoc esu sibi liberum arbitrium & vsum rationis primos parentes arcessiuisse. 3. Iosephi, lib. 1. antiq. c. 2. & Ophitarum apud Epiphanium, hæresi 37. acuisse ingenium, causamque fuisse acquirendæ scientiæ. 4. Damasc. l. 2. de fide cap. 11. propriæ naturæ cognitionem homini attulisse. Nihil enim horum attulit, sed vnicã pœnam ex transgressione, variorum malorum sensum nimirum, & per accidens aliquam sui notitiam.

XII. Fructus ligni, fuit pulcher, suauis, sapore præstans, & bonitate sua ad sui amorem proliciens, atque valde gratus, atque ob fructũ arbor, de qua est lis, an fuerit aliqua notarum, siue communium, ac intelligo multos vnam notarum voluisse, à vite, frumento, fruticibusque & herbis distinctam, quorum aliqui ficum dixerunt, quæ subinde pomi, siue mali, nomine etiã celebratur à Barcepha, Theod.

Procopio, Peluſiota ; aliqui vulgare pomum, quod ex hæreticis quendam etiam arbitratum dixit Delrio, Cant. 8. v. 5. in verba, *ſub arbore malo ſuſcitaui te*, aliqui malum latius ſumptum, pro omni fructu, cuius eſt mollior cortex, quodcunque fuerit, ſiue citrium, ſiue Perſicum, ſiue Punicum, ſiue malogranatum, ſiue aliquod eorum, quæ Plinius lib. 15. cap. 14. recenſuit, & alij nonnulli authores, vt Columella & Varro. Veriſimilius mihi apparet, incognitæ ſpeciei à ceteris diuerſæ aſſerendam, & proinde ſingularis notæ, ſicut & arbor vitæ, cui parem fuiſſe inſinuat ſacer codex, quanquam ſingularis præ alijs pulchritudinis venuſtatiſque, amorem prolicientis, quæ extra paradiſum nuſquam extiterit.

XIII. Figmentum eſt, quod ex apocryphis Rabbinorum ſcriptis ſe retuliſſe ſcripſit Ioannes Pineda, lib. 5. de Salom. cap. 14. à Sem, Noachi filio, cui pater diluuij tempore cranium Adami commiſerat, in cranium protoplaſti arboris illius ſcientiæ boni & mali ſemen coniectum, ac progeneraſſe in monte Caluariæ nouam ſcientiæ boni & mali arborem, è cuius ligno ſit crux Saluatori parata.

CAPVT XIII.

De paradiſi fluminibus.

I. DE Paradiſi fluminibus ita cap. 2. v. 10. libri Geneſeos eſt Moyſes locutus, *Fluuius egrediebatur de loco voluptatis, ad irrigandũ paradiſum, qui inde diuiditur in quatuor capita, cui vni nomen Phiſon, alteri Gehon, tertio Tygris, quarto Euphrates.* Ex his quidam conantur inueſtigare locum paradiſi, quem contendunt obtinendum, obtenta origine & ſcaturigine prima horum quatuor fluminum, è quibus nota perhibent, Tigrin & Euphraten, Phiſon autem dicunt Nilum, & Gehon Gangem Indorum. Hoc multis Aug. Torniellus & Cornelius à lapide in pentateucho ſubuertunt, neque eſt vlla firma ratio quæ concludat, Gehon eſſe Gangem, & Phiſon Nilum; ac præterea, non eſt ea accuratè loquentium SS. Patrum copia, qua id conuincatur, etſi hoc ipſum nuper ſomniarit non exigui nominis vnus aliquis Leonardus Marius in cap. 2. Gen. v. 11. Atque ſi eſſent, his cognitis, adhuc laborandum eſſet de ſcaturigine vna, quatuor his fluminibus communi, quin imo, hac noſtra ætate cognita iſta origine, non

ſine

sine fundamento statui posset, variatam post tot millia annorum originem, eamque nunc nõ esse illam, quæ initio mundi erat; vti enim cursus fluminũ, sic & initia sæpè mutantur, & passim sunt immutata.

II. Non asseruit præterea Moyses è paradiso ea flumina scaturijsse, sed tantũ vnũ è paradiso egrediẽtẽ fluuiũ, tandẽ in quatuor capita diuisum, cuius vnius nomen sit Phison, alterius Gehon, tertij Tigris, quarti Euphrates, siue è paradiso, primò scaturierint siue non.

III. Rursum de fluuio quoque illo vnico, quadripartito in flumina, dictum non fuit, è paradiso velut fonte prodijsse, sed egressum tantum è paradiso quomodocunque eum primo subierit.

IV. Denique si Phison & Gehon, cum Tigri & Euphrate, repertis, inde reperiendus foret paradisus, non vllibi aptius esset statuendus quam Armeniam & Mesopotamiam circa, à quibus terris non procul abeunt Tigris & Euphrates; ac, si licet dicere, Gehon esse fluuium quendam petentem Arabiam desertam, quod coniectat Cornelius, Phison autem, phasin, siue phasitigrin, in sinum Persicum declinantem, neque Gehon & Phison multum recedunt à loco, quem nos dedimus paradiso, eritque noster paradisus ita plurimum confirmatus, locoque illi in quo Heden constituimus, cuius priscam elegantiam obliterauit diluuium, tribuetur.

CAPVT XIV.

Adami studium, & præcepta iniuncta.

I. ABsque dubio verissimum est, id cum omnibus hominibus Adamum commune habuisse, quod multis præceptis legibusue fuerit illigatus, & ijs, quas instinctus naturæ præcipit & præscribit, & ferè generalibus modis in decalogo continentur, & etiam quas requirit supernaturalis religio & finis, ad quam singularius conditus fuit, & fere continentur, fidei, spei, & charitatis *mandatis*, atque religionis, qua ratione est singularis virtus.

II. Præterhas, commemorant sacræ litteræ Adamum duplices alias à Deo accepisse, vnas, de paradisi custodia & elaboratione; alteras, de abstinentia ab arbore scientiæ boni & mali. Priores hisce cõplexus est Genes. *Tulit ergo Dominus* DEVS *hominem, & posuit eum in paradiso voluptatis, vt operaretur & custodiret illum*, quibus duo es-

se impositа est manifestum, operandum nimirum in paradiso, & deinde eum custodiendum ab Adamo.

III. S. Aug. lib. 8. de Gen. ad lit. cap. 10. verba illa, *vt operaretur*, ad Deum refert, & non ad Adamum, atque hunc sensum laudat, Deum hominem idcirco in paradiso locasse, vt indies magis & magis hominem excoleret & perficeret, ampliusque ad virtutum opera præstantiora exercenda excitaret iuuaretque. Hunc vero sensum, nec Hebræus nec noster latinus textus patitur, qui homini applicant, positum hunc vt paradisum operaretur excolendo terram, & ea quæ in ea, non tam vt ferant fructum, quam vt lætiorem & copiosiorem, atque elegantiorem obtinerent; areolarum variarum, figurarum, aliarumque dispositionum, culturam, ad maiorem vtriusque hominis exhilarationem, & oblectationem, amputando eius gratia aridiora, vbi esset necesse, inserendo nobiliora, curando sementem nouam, dispertiendo & seminando eandem, fouendo accuratissime tum plantas ipsas, tum earum fructum, aliaque exequēdo, quæ dictæ culturæ sunt propria, quam malè inuentam Poëtæ prius post tempora Saturni cecinerunt, idque sine fatigatione, sollicitudine, anxietate, cum gaudio & voluptate peculiari. Multa enim paradisiaca negotio humano relicta fuêre, etiam ob maiorem hominis spiritualem vtilitatem & profectum.

IV. Quæ custodiam Paradisi concernunt, non fuerunt ea potissimum causa hominum aut arcendorum dæmonum demandata, sed bestiarum, ne & nimis multæ illos hortos ingrederentur, & ingressæ præstantissima quæque conculcarent, vastarent, & corrumperent, nec excederent, nec deficerent.

V. Quanquam ex his allatis, de operatione & custodia paradisi, legibus, non liquido satis fortasse concludatur, Adamum, cum in bestias tum in alias res, his inferiores, quam perfectissime obtinuisse Dominium, ex ijs tamen Gen. 1. v. 26. quod in præcedentibus innuimus, etiam, istud colligitur quam clarissime, *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, & præsit piscibus maris, & volucribus cæli, & bestijs, terræque vniuersæ*, atque illis v. 28. *replete terram, & subijcite eam, & dominamini piscibus maris, & volucribus cæli, & vni-*

uer-

uersis animantibus, quæ mouentur super terram, quibus similia sunt, Eccles. 17. vbi traditur primo homini Deum *dedisse potestatem eorum quæ sunt super terram, posuisse super omnem carnem, hominemque dominatum esse bestiarum & volatilium cæli*, excellentiori puta quodam modo, qui non sit homini concessus, aut statim post commissum peccatum, aut etiam post diluuium Genes. 9. Hoc dominij ius eiusque præcepta in eo custodiæ & operationis mandato fuisse inuoluta, nō absurdè defendi potest.

VI. Posteriorem de abstinentia sancitam legem, ita cap. 2. Gen. v. 16. & 17. describit, *Præcepit ei, Dominus* DEVS *dicens. Ex omni ligno paradisi comede, de ligno autem scientiæ boni & mali ne comedas; in quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris.* Hisce Deus sigillatim vnum tantum præcepit, *ne de ligno*, scientiæ boni & mali, *comederet*, quod adiecta comminatio satis prodit; alterum vero, eius arbitratui reliquit, vt de quo vellet ligno vesceretur, & legi naturali, licet non desit qui aliter interpretetur.

VII. Induxit hoc præceptum grauem obligationem, & lethiferi peccati maculam transgressori, non ex materiæ qualitate, quæ leuis visa est, sed ex voluntate & scopo imperantis, qui vt in re exigua mō-straret & potestatem & iura dominij sui, atque initio statim in obedientia exerceret hominem, ac insignem erga legislatorem reuerentiā excitaret, tributū in re exigua, sub graui interminatione exegit, vt in illa profiteretur exactè subiectionē. Fuit illa lex quidē circa tēperantiæ materiā, sigillatim tamē magis circa obediētiæ, vt reus potius transgressor inobedientiæ specialis haberetur, quam intēperantiæ.

VIII. Illud abstinentiæ præceptum non incelebres dixerunt Adamo pariter & Euæ statim in principio conditæ legis commendatū fuisse, si tamen hæreamus contextui, soli Adamo iniunctum credendum verius erit, Euę autem vel postea ab Adamo insinuatum, vel nouum peculiariter à Deo statutum fuisse, quod Genes. cap. 2. v. 15. 16. 17. indicet datum Adamo, antequam formaretur Eua: & deinde, nō eodem modo constet ad Euam, quo ad Adamum pertinuisse, ad Euam nimirū vt particularē personam, ad Adamum etiam vt publicā, & caput supremum humani generis, quo stante, non rueret tota na-

tura, quo cadente, caderet omnis posteritas.

IX. Ex verbis præcepti quæ Genes. proposuit, colligi non potest, Adamum pro se posterisque illud accepisse, ea conditione, vt ex ipsius inobedientia iugum Originalis peccati subiret tota natura, ex Adamo propaganda, illud tamen Rom. 5. v. 14. verbisq; 2. Corinthiacæ 5. v. 14. *Si vnus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt*, in vno nimirum capite, Adamo. Ex his aliqui verba Genes. ad mentem potius legislatoris, quam ad verba attenti, sic explanant, Tu Adame, quem dedi gentis humanæ principem, ex illa arbore ne comedas, si comederis, tu, & tui nepotes omnes morte moriemini, & peccatum contrahetis, aliàs immunes à peccato & morte futuri.

X. Impositum est istud mandatum, non vnius vexationis gratia, sed tum manifestationis clarioris attributorum quorundam diuinorum, dominij, potestatis, dignitatis, sapientiæ, tum etiam humanæ libertatis & præstantiæ, in qua verteretur iuxta periculum & salus omnium subsequentium hominum, tum denique probationis, obedientiæ, aliarumque virtutum Adami, earumque vt aliquod specimẽ constantissime ederet, ac inde accrescerent merita & præmia, atque curæ & sollicitudines cautè ambulandi in vijs Domini, declinandique grauiora incommoda augerentur.

XI. Oppones, frustra hæc Deum sibi præfixisse, si præsciuit, vti præsciuit, legem non obseruandam. Respondeo, Deum fines sibi præcipuos non prefixisse ex euentis, sed ex nobilissima sua sapientia, quæ simplicis intelligentiæ scientia continetur, quâ maiorem rationem virtutum, & gloriæ suæ, quam lapsus humani, habuit, sciuitque lapsum ad amplius gloriæ diuinæ bonũ seruire posse, ad satisfactionẽ nimirum Christi infinitam constituendam, & exaltationem iustitiæ diuinæ post hanc vitã, si placeret voluntati suæ peccatũ permittere.

XII. Oppones rursum, quid istud rei? tantũ paradisum pro adeo breui tẽpore conditũ? Respõdeo, pro multo tẽpore instructũ fuisse, hominẽ autẽ tẽporis illam prolixitatẽ impediuisse, & è fine & modo beneuolentiæ, in iustitiæ ordinẽ & modũ se coniecisse, atq; lapsu suo multis alijs cõmunicãdis bonis misericordiæ Dei dedisse ansam, qua esset cõuertendus lapsus, eiq; cõiuncta, in aliquod bonũ excellẽtius.

PARS

PARS POSTERIOR.

DE ADAMO IMPROBO ET CALAMITOSO.

AD perfectum rerum expetendarum cumulum, nil Adamo, præter cæleſtem gloriam, in illo felici hactenus explicato ſtatu, deerat, quam immunitas à tentationibus. Debuiſſet iſtud illi, in ſtadio non in meta poſito, addidiſſe calcaria, excitaſſe ad rectè prudenterq; decurrendum ſtadiũ præfixum, attingendumque ſempiternæ, cæleſtiſque vitæ coronam; ſed longè aliter accidit. Nam incurſantibus tentationum flabris, non modo à corona excidit, ſed etiam à priſca & felici paradiſiaca gloria, quam ea lege obtinuerat, vt ſi offenderet, perderet, alias, ſine pœnitentia, quæ in DEVM *cadere poſſit, dona diuina retenturus, multarumque calamitatũ iliade ſe inuoluit conſtrinxitque. Hoc deinceps accurate pertractabo, atque initio originem tentationis proponam, ac deinde cap. 2. tentatorem ſerpentem. 3. Euæ ex ſerpentis colloquio ruinam. 4. Adami lapſum; 5. Criminis grauitatem. 6. Primas admiſſi peccati pœnas. 7.* DEI *inſurgentis in ſerpentem vocem. 8. Singulariora à* DEO *inflicta mulieri ac Adamo ſupplicia. 9. Tempus, aliaſque circunſtantias ejecti è paradiſo protoplaſti. 10. Cherubinos, & flammeum gladium. 11. Pœnitentiam Adami. 12. poſterorum &* DEI *genitricis conditionem.*

CAPVT PRIMVM.
ORIGO TENTATIONIS.

1. TEntationis nomine dictum vel factum notamus, quo de alterius voluntate, bonitate, conſtantia, ſcientia, potentiâ, capitur experimentum, aut tentatoris bono, vel incommodo, aut etiam aliorum, aut denique eius, qui tentatur, quem in malum vel bonum propellere nonnemo molitur. Hinc frequens illa, ſacris in literis vſurpata, eſt decerpta ſignificatio, qua idem eſt tentatio, quod incitatio ad malum, quam hoc loco potiſſimum ſpectamus; de qua inquiritur primo potueritne protoplaſtus, eiuſque vxor, nulla premente

talĩ

tali tentatione, Deum peccato aliquo offendere, & se crimine lethali fœdare, ac nullus dubito, excussa sola arbitrij humani libertate potuisse, quod perinde ac nunc homo labi potuerit, vel suggestione siue incitatione, vel mera malitia aut libidine, siue licentia peccandi. Incitari quidem tunc nequiuit à subitis iræ cupiditatumque motibus, alijsque perturbationibus, ac ignorantia, quod Deus istiusmodi auerterit, potuit tamen ab externis tentatoribus, ac propria libertate, nullo eam tentante, si non hanc, Deus suaui gratiæ suæ, suorumq; adiumentorum, afflatu, simul quoq; præpediuisset, nō tam vt peccāre non posset, quam vt in peccatum non incideret.

II. Quæritur 2. qui illi fuerint externi tentatores, à quibus impugnari parens noster primus potuit, ac non desunt, qui quadruplices proferant, Deum opt. quem tentationis causam Caluinistæ cōmenti sunt, quibus imprudenter fauent nonnulli Lutherani; Dæmonem, de quo sacræ litteræ non sinunt nos dubitare; hominem ab Adamo & Eua diuersum, si quispiam illo statu extitisset, qui nullus tunc in rerum natura reperiebatur, præter illos duos, qui quod recti essent, non poterant ante aliquem lapsum sibi mutuo obesse; & variæ res aliæ, materiæque, sensus irritantes & prouocantes ad malum, quibus nihil suppetijt virium, nisi aut homine, aut angelo interueniente, aut malis affectibus, aut nescio qua rebellione vehementioreue apprehensione, aut ignorantia, ab Adamo iam semotis, excepto hominis, si quis alius in rerum natura degisset, vel angeli mali maleuolentia & impugnatione. Ex his consequitur, quod nec ab homine, nec à rebus & materijs fuerit Adamo metuēdum, tantum aut à Deo hominem impelli in peccatum potuisse, aut à cacodæmone: De illo nefas, imo blasphemum est, quid tale vel suspicari, quod S. Iacobus profiteatur in canonica sua cap. 1. v. 13. *Nemo cum tentatur dicat, quoniam à* DEO *tentatur:* DEVS *enim intentator malorum est. ipse autem neminem tentat.* De hoc communis est totius Ecclesiæ sensus qui admittit dicendum authorem, quem ob hanc causam S. Matthæus, & S. Lucas cap. 4. Euangeliorum, tentatorem absolutè nominarunt, fuitque primo homini ab hoc solo tentatore, Satana, tentationis verum periculum, acciditq; ex periculo tandem lapsus.

III. Non

III. Non est aggressus hominem Diabolus, concitatione sola interioris sensus, quanquam somniarit hoc Caietanus: sensum enim non secus, ac appetitum à perturbationibus, singulari priuilegio custodiebat Dominus à malis & inordinatis apprehensionibus, vsque dum homo aliunde per negligentiam, aut minus cautam animadversionem, præeunte tentatione, peruerteretur. Quomodo vero in hominem incurrerit, sacræ litteræ cap. 1. Gen. satis aperiunt, colloquio id egisse & verborum lenocinio, eoque debiliorem sexum primo sollicitasse, Euam nimirum; cui nil refragari videtur, præter illud S. Iacobi Apostoli, cap. 1. v. 14. *Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus*, reuera autem dictis non officit, Apostolo agente de solo iam degenere homine; atque etiam in ipso Euæ crimine non defuit, non quidem initio, sed mox vt cœpit cespitare & diabolo vtcunque consentire.

IV. Quo fine tentator ille suam istam tentationem sit exorsus, haud difficulter est ominari, vindictæ gratia & inuidiæ, tentare in cœpisse. A Deo enim ob superbiam, aut in tartara præcipitatus, aut saltem æternis pœnis mulctatus, siue hoc in aëre, siue in tartaro, siue alibi, vindicare vt licuit, ita voluit, eiusque gloriam maiorem in homine saltem præpedire, cui inuidebat gloriam eam à qua ipse exciderat. Significauit hoc scriptura sacra sapientiæ 2. v. 24. *inuidia*, asserens, *diaboli mors intrauit in orbem terrarum*, & 1. Ioan. 3. v. 8. dum peccatum omne emanasse à diabolo testatur.

V. Diabolum potuisset omnipotens impedire, qui illi non obstitit, sed totam infestationem permisit indulsitque; æquissimè sanè, S. Augustini testimonio, lib. de correp. & gratia cap. 18. primo quidem ad maiorem nominis sui gloriam proliciendam. 2. Vt illa tempestate hominem in virtutibus solide excitaret. 3. Vt maiorem meritorum materiam exhiberet. 4. Vt ex certamine maiorem illi coronam pararet. 5. Vt si offenderet homo iustitiæ suæ vires exereret & monstraret Deus. 6. Vt peccati occasione Christi Domini satisfactionem & ampliorem maiestatem magis exaltaret. Ipsi certe Christo tentatio non defuit, quod tres priores Euangelistæ accuratè perscripserunt, & S. Paulus heb 4. v. 16. sed aliter se in tentatione gessit Saluator,

tor, qui non offendit in minimo, nomenque sibi sempiternum ex tentatione comparauit, quod non fecere primi nostri parentes, qui libertate sua abusi, cum potuissent sibi plurimum posterisque prodesse, maxima sibi nepotibusque mala accersiuerunt.

CAPVT II.

DE SERPENTE TENTATORE.

I. A SERPENTE primam tentationem profectam cap. 3. Geneseos enarrat, de quo quidam ambigunt, fueritne verus & corporeus, an metaphoricus. Origenes omnia hic metaphorica finxit, à sexta synodo generali hoc nomine damnatus, cui lib. 2. de Genesi contra Manichæos cap. 14. S. Augustinus non parum est patrocinatus, qui tandem sententiam lib. 11. de Genesi ad literam cap. 3. & lib. 2. ciuit. cap. 27. vti quoque lib. 14. cap. 11. retractauit, quem rectius imitatus fuisset Caietanus, quam in cap. 3. Geneseos commentationes suas edens, ad meras metaphoras ferè confugisset, ac propriè dictum serpentem, eiusque ministerium & sibilos de medio sustulisset, solumque diabolum reliquisset per solos internos sensus, remotis externis, tentationem suam instillantem. Damnauit erroris Caietanum, non vnicus Benedictus Pererius, sed complures alij interpretes, nixi authoritate Græcorum & Latinorum Patrum, & sensu vniuersæ Ecclesiæ, ac plana narratione Moysis, cuius verba historiam & proprijs verbis recitatam narrationem, sonant. Atque si serpens metaphoricus dicendus est, cur non omnis prolata tentatio, & vniuersè, casus & prolapsio omnis Euæ & Adam in flagitium? Pariter vt Origenem, ita Ophitas hæreticos, Christum in serpentem conuertentes, Ecclesia hæreseos damnauit, de quibus consule S. Augustinũ hær. 17. & 46. Epiphan. hær. 47. & S. Iren. lib. 1. cap. 34.

II. Astipulamur itaque his, qui verum & propriè dictum serpentem voluerunt, quibus cum subscribimus, eos non possumus non improbare, qui absurdè rationem & intelligentiam serpenti attribuerunt, vel naturæ, vel Dei solius beneficio: naturæ adscripsit Iosephus apud Abulensem cap. 13. Gen. q. 418. & 429. quanquam desint formalia verba Iosephi; Dei solius beneficio, satana impetrante, dicitur à Barcepha appinxisse, & defendisse B. Ephremus, in cuius ope-

operibus, quæ manibus Doctorum teruntur, omnia verius contraria, quod docet potissimum tractatus de pœnitentia, asseruntur.

III. Corporeus iste serpens, naturâ destitutus ratione & loquendi facultate, locutus est perinde, atque Asina Balaam, angelo locutionem formante, Num. 22. v. 28. 29. 30. & 31. fuitq; instrumentum merum locutionis alicuius alterius loquentis serpens, loquens verò ipse dæmon, vt proinde rectè locutio omnis Gen. 3. serpenti; diabolo autem Sapient. 2. assignetur, diabolo sic vsurpante tunc serpente, sicut postmodum dracone Apoc. 12. vbi eam ob rem Draco magnus appellatur. De illo, nonnullos intelligo è neotoricis etiam acutioribus, propè in Augustini Eugubini sententiam propendere, non serpentem, sed vel exuuium serpentis, aut adulterinam tantum serpentis figuram fuisse, ac non alio sensu dictum serpentem, quam quo tres Angeli nominantur Gen. 18. tres viri, qui propè inuitum in suas partes nituntur rapere Cyrillum lib. 3. contra Iulianum, quibus vt assentiar, codex sacer vetat, cuius verba tamdiu propriè sunt accipienda, quamdiu ab absurdo ea tueri licet; & communior SS. Patrũ expositio, quam præbent S. Basilius hom. de paradiso, Chrys. hom. 16. in Gen. Theod. q. 34. & 35. in Gen. Augustinus locis citatis, Damascenus lib. 2. de fide cap. 10. & alij cum Magistro sententiarum, lib. 2. dist. 21. Fateor Gen. 18. tres Angelos dictos esse tres viros, sed viros impropriè scriptos, ipse contextus ostendit, quod secus præstat Geneseos caput 3. in cuius initio ista satis verum viuumque animal produnt, *Sed & serpens erat callidior cunctis animantibus*, &c.

IV. Serpentem viuum volui, de genere parum sollicitus. Sunt qui basiliscum asserant, sunt alij qui draconem, sunt qui cum nostro Delrio viperam putent, aut cum Pererio illum pulcherrimum serpentum, quem Solinus cap. 39. dixit scytalen, etiamsi scytalis voce alia plura significari possint; sunt denique alij, qui è vulgatis aliquem credant, de quibus Matthæi 10. v. 16. *Estote prudentes sicut serpentes*; Ego vel Pererio assentior, vel S. Augustino, qui lib. 11. de Genesi ad lit. ca. 3. inter abdita hoc locat, sicut illud etiam, cur non ouiculam, columbam, aliudue innocuum animal assumpserit, quod etiamsi diabolo gratius fuisset fortassis, Deus non fuit, &, quod verisimilius arbitror,

nec ipse dæmon præoptauit, cui tortuosa & callida arrident, & adhuc serpentibus vti gaudet ad fallendos homines, cuius rei fidem facit epistola 2. Cor. c. 11. v. 3.

V. Cur serpentem loquentem Eua non perhorruerit, variè varij enarrarunt. Dixerunt aliqui placuisse aspectum, quod vultum virgineum habuerit, quod fabulatus est Magister scholasticæ historiæ; alij vultum humano similem, naturæ concessione, vel diabolicis præstigijs; alij rebus quas loquebatur allectam, & curiositate non mala diutius detentam; alij statim, vel Deum angelum quempiam, non malũ vllum, sed è bonis aliquem, hic loqui existimasse: alij etiam aiunt, licet multa cognouerit, non tamen sciuisse serpenti an conueniret locutio & ratio, an non, idq; explorare voluisse, audiendo. Quid ex his deligas difficile est, placet arbitratam esse, loquelam fuisse ab angelo, & nil suspicatam de malo genio, incidisse autem menti varios angelis esse agendi modos, per se, per assumptum corpus, per bruta, ac ex his per serpentem, quod nimium miratur, Euam candida intuitione, doli non memorem, arbitratam, Benedictus Pererius.

VI. Videbat in serpente residens diabolus, Euam per paradisum ambulantem, tandem ad arborem scientiæ boni & mali appropinquare, & mox se erexit, suisque voluminibus & spiris vel totam arborem est complexus, vel in proximo arbori loco se stitit, Euamque salutauit, quæ conscia protectionis Dei, se læsione cuiuscunque animalis fore innoxiam, diligentissimè auscultauit. Rupertus lib. 3. in Gen. c. 2. serpentem extra paradisum hæsisse, ipso in limite tum paradisi tum reliquæ terræ, à paradiso diuersæ, ac inde, existentem in ipso horto, Euam, allocutum, affirmauit, quod refutat non modo reliquorum interpretum authoritas, sed colloquij tempore aspectus arboris, quam si in extremis hæsisset non potuisset contueri, in medio paradisi locatam, teste cap. 3. Genes. v. 3. Perinde à vero alienum est, quod putauit S. Basilius, pedibus gradiendi vim habuisse natiuã, serpentem, quod omnium serpentum ingenita forma falsum docet, atq; quod sit de numero reptilium non infimum animal, quæ Deus vt est Gen. 1. cap. copiosissimè initio mundi, reptilia vt reptilia, aquatilia natandi perita, vt aquatilia & natandi perita produxerat. Editũ

est

est ingens anno 1621. in pentateuchum volumen, in quo pens cauda, non ventre & superiore parte, statu innocentiæ adhuc durante, eo finito omni modo; at quorsum hæc inanis fictio? vrgentne, scriptura, Patres, ratio?

CAPVT III.

EVAE ex colloquio serpentis ruina.

I. DE colloquio Euæ cum serpente, hæc primo adferunt sacræ literæ, *Cur præcepit vobis Deus, vt non comederetis de omni ligno paradisi?* Sed prima omnium fuisse verba non asserunt, imò prima non fuisse nonnemo nititur colligere ex voce hebræa, *aphki*, quam fortassis nõ rectè vertit noster codex per particulam *cur*, quod idem aphki valeat, ac etiamne, vel itane, & indicabit aliud colloquium hæc ipsa antecessisse, plenũ fortasse laudis & adulationis de dignitate humanæ naturæ, de libertate, de præceptorum varietate & vtilitate, ac ita demum dilapsum dæmonem ad quæstionem, & de præcepto inusitato, naturæ non insito, & parum vt obiectauit deinceps, necessario, esum arboris scientiæ boni & mali vetante, & mira calliditate, sophistica ratione, neglectis dialecticis figuris, insidias occuluisse & struxisse, Eua minus ad latentem fraudem animaduertente.

II. Regula sophistarum maximè pernitiosa, ad obtinendum elenchum & parandam supplicationem creditur, breuioribus & minutis interrogationibus, istis, cum primis voculis, Cur, quomodo, vnde; neglecta syllogistica forma, & potissimis propositionibus insidiari, ac proinde dixisse dæmonem; *Etiamne Deus præcepit, vt de nulla arbore ederetis?* qui si apertè egisset, ita verius rogare debuisset, quid putas Eua, serio an ioco, verè an vanè Deus prohibuit vobis esum fructus arboris scientiæ boni & mali? & facile potuisset aduertisse, Deum, neque ioco, neque vanè, interdixisse, sed serio, sensu illo, quem ante istis in verbis, *quocunque die comederis, &c.* cognorant, & crediderant. Dum verò sic rectè agit, non aduertit Eua in fraudẽ, & tandem per incogitantiam eo deuenit, vt existimaret ioco, vel vanè, vel peregrino aliquo ante non cognito sensu vetuisse illum esum.

III. Aliquid interim fraudis aduertit Eua, non satis liquidè ipsam materiam præcepti serpentem recensuisse. Serpens dixerat, *Cur præcepit,*

cepit vobis Deus, vt non comederetis de omni ligno paradisi; Eua verò sic corrigit & instruit serpentem, *De fructu lignorum quæ sunt in paradiso vescimur, de fructu vero ligni, quod est in medio paradisi præcepit nobis ne comederemus, &c.* Quorum sensus est. Tu serpens dixisti, prohibitũ esse, vt non comederemus de *omni*; hoc falsum est, quod tantum commiserit, vt de vnius solius arboris fructu non sumeremus, nempe scientiæ boni & mali; his auditis, non moratus, perrexit serpens vlterius, & pœnam mortis elidere cœpit, atque offerre noua promissa, futuram se & maritum Deorum instar.

IV. Exposui obiectam à malo spiritu tentationem, in qua hæc videtur mendacia tectè vel apertè attulisse. 1. si serio allatum est mandatum de vetito fructu arboris scientiæ boni & mali, vanum esse. 2. mandatum illud vel ioco propositum, vel non illo sensu quo primo fuit intellectum. 3. ad sui obseruationem non obligare. 4. si fuisset serium, illo sensu, quem Deum loquentem audientes præconceperant primi parentes, inuidum fuisse Deum oportere, qui illam diuinam scientiam, eiusque vtilitatem inuidisset hominibus. 5. è comestione subsecuturam oculorum apertionem, & mirificam scientiam. 6. fore sicut Deos, quomodocunque *Dii* vocem intellexerit, propriè aut metaphoricè. In hisce, alia latuere, & præcipuè tria, quæ optasset dæmon Euam credidisse. I. Deum non esse optimum & summum bonum. II. Deum esse mendacem. III. arborem illam habuisse insitam vim aperiendi oculos, & menti scientiam miram tribuendi.

V. Fraudes serpentis detexi, quas vtinam non inaudisset, serpentemque fugitasset, & ab omni colloquio sibi temperasset, Eua meliore consilio vsa fuisset; attamen quod istud nullo illi præcepto esset iniunctum, nullo quoque Deum crimine offendit, quemadmodum neque in hoc, quod exactius mysterium iniuncti præcepti diabolo aperuerit, & loqui incœperit, si semper rectè locuta fuisset.

VI. Ecclesiasticus cap. 10. v. 15. & S. Tobias cap. 4. v. 14. omnium peccatorum principium superbiam tradiderũt, vt anteceſſisse aliud, non possit rectè affirmari. QVamobrem illi, qui cum Caietano aiũt, illis verbis, *de fructu ligni, &c. præcepit nobis Deus ne comederemus, &*

ne tangeremus illud, Euam præcepti, quæ iam in animo suo insurrexerat, displicentiam aperuisse, nimiamque legis, quæ non esum tantũ, sed contactum etiam vetuisset (quanquam tactus non fuerit aperta mentio) seueritatem exaggerasse; illique qui cum Ruperto particulam verborum aliorum Euæ, *ne forte moriamur*, explicantes, aiunt, mendacium protulisse, quod voculam, *forte*, non vsurparit Deus, quam Eua Deum vsurpasse iudicabat; ex præloquio, quod exegisse hebræum, Aphki, antea indicauimus, natam superbiam contendũt, eique iniquas de seueritate querelas, & mendacium in particula, *forte*, fuisse subiecta. Non placent ista non paucis, qui cum S. Aug. lib. 11. de Gen. ad lit. cap. 30. & lib. 65. quæst. ad Orosium q. 4. excusant verba illa, *ne tangeremus*, & *ne forte*, ac ab omni peccato absoluunt, quod illud absque dubio Deus comestionis legi inuoluerit, quæ requirebat ne illo etiam fine tangeretur arbor illa, iuxta S. Greg. lib. 35. moral. c. 10. alias 13. & D. Thomam 2. 2. q. 163. a 1. & 2. Hæc autem (ne forte) aliquando verius sint explicantis, quam hæsitantis verba, rem in arbitrio nostro esse positam tantum declarantia, quo pacto sumũtur Matth. 11. v. 15. nihilominus tamen, quia non raros aliquos SS. Patres verba illa paulò aliter sumpsisse aduerto, & voluisse Euam de simplici tactu, etiam è fine comestionis non profecto, locutam, ac dubitationis instar particulam, fortè, accepisse, ideò non est omninò incredibile sic peccasse Euam, 1. superbia. 2 displicentia, vel nausea, aut inepta querela, 3. mendacio, & paulò post plura subiecisse, ac inprimis nouam superbiam, quæ fuerit quartum peccatum, eamque formaliorem, auditis illis amplissimis promissis, *aperientur oculi vestri, eritisque sicut Dij.* post quæ mox se ad arborẽ noua curiositate inspiciendam applicarit, iuxta S. Thomam, & S. Aug. locis citatis, patrocinante nobis particula, *Igitur*. v. 6. cap. 3. Genes. *vidit igitur* &c. iam superbiâ commota ex promissis; ac deinde quintum crimen infidelitatis, existimans se Deorum instar fore, vel quid simile aliud, quod quoque Adamo ab Eua decepto (minus apertè in illud ferente) obiectarit Dominus ironicè, *Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est, sciens bonum & malum.*

VII. Primum peccatum non superbiam, sed infidelitatem & hæresin

resin extitisse, cum Luthero cap. 3. Genes. Caluinus lib. 2. instit. ca. 1. §. 4. deblaterauit, qui non modo Ecclesiastico & Tobiæ aduersantur, sed etiam S. Augustino, tum loco citato, tum lib. 14. ciuit. c. 13. vbi tenebrarum intellectus primum fundamentum locat superbiam: atque experientiæ ipsi, quæ prodit omnem hæreticum talem hactenus euasisse, vel à nimia simplicitate & ignorantia, si non fuit hæresiarcha, quas in Euam non quadrare illo aureo sæculo sæpius monstrauimus, vel à superbia, de qua sollicitius nonnulli rogant, quo pacto errore & infidelitate, necdum pullulantibus, potuerit à voluntate proficisci, quibus respondeo potuisse haud difficulter; vt olim potuit in Lucifero, sola cogitatione apprehensioneque de amplissimo libertatis non obtemperandi in quacunque iniungenda materia priuilegio præmissa, bonisque inde secuturis, nulla facta propositione, sed tantum libertatis illius & bonorum reliquorum exuscitata practica apprehendentis intellectione & compositione aliqua, possidenda valde eximia bona apprehendente, siue hominem decerent siue non.

VIII. Infidelem, quin hæreticam, dixit Cardinalis Bellarminus lib. 3. de amissione gratiæ c. 6. & plerique SS. Patres, sed non omnes eodem modo declararunt. Arbitror cum S. Augustino lib. 11. de Gen. ad lit. cap. 30. & Epiph. hær. 38. non circa verba Dei formalia, in quæ mendacio impegerit, crediderit que non dicta esse dicta, errasse in fide, sed circa sensum, perinde vt Caluinista illis in verbis errat, *hoc est corpus meum*; quod tradidit Apostolus 2. Cor. 11. Euæ seductionem talem explicans, qualis fuit Pseudoapostolorum, quos aiunt Doctores sensu verborum Dei, non ipsis verbis, infidelitatem suam exercuisse. Fuisse errorem totum in eo existimari potest, quod post auditum serpentem, sensum Dei verborum Eua peruerterit, contra eum quem antea rectè putarat, & existimarit Dei vocem vel aliqua metaphora explicandam, quę propriè erat, aut obligationem non seriam, sed iocosam Deum attulisse, aut leui solum prohibitione vetuisse, aut pœnitentia aliqua non culpam tantum, sed omnem etiam pœnã auferre postea potuisse, quomodocunque hanc Deus esset comminatus, seque ipsos ita in statum pristinum paradisi restituere, magno

bono

bono iam ex esu arboris accepto. Est qui planè omnem pertinaciam ab ea Euæ hæresi tollit, solumq; materialiter hæreticam arbitratur, quod mihi persuasum nolim, superbia Euæ semel iam constituta, & priuati iudicij nimio amore, qui vix sine obstinatione reperitur.

IX. Quinque Euæ peccatis addo sextum, noxiam curiositatem, qua iam non vt ante, adhuc innocens, sed affectus superbi & infidelis imperio impulsa, aspectauit arborem teste Ruperto lib. 3. in Gen. ca. 9. eiusque bonitatem, pulchritudinem, delectabilitatem nimium appetitui sentienti per visum, sensumque internum proposuit, quod hisce Moyses dixit, *vidit igitur mulier quod bonum esset ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectuque delectabile, & tulit, &c.* visaque illi illustrior & amplior arbor illa, & non secus excellens, quam subsequentibus seculis Nabuchodonosori Dan. 4. v. 8. arbor illa est visa, quæ proceritate cœlos tangebat, optimè vna cum arbore scientiæ boni & mali sensu mystico, oratione Theologica ab Episcopo Atrebatensi, Francisco Richardoto, exornata.

X. Septimum Euæ peccatum, contactus, expressus verbo, *Tulit*, vt non obediret, adfert. Non enim generali tantum inobedientia deliquit, sed speciali, negans expresè Deo hac in arbore tributum iniũctum, & debitum obedientiæ, instar regij census impositum, quod adeo sigillatim omnipotens expetiuerat. Octauum gula commisit, verbo, *comedit*, scriptum à Moyse. Nonum peccatum scandali fuit, quod virum suum peruerterit. Ait enim Genesis, *comedit, deditque viro suo, qui comedit.* Decimum est, friuolæ excusationis de qua infra suo loco vlterius, quando pœnas proponemus. Id quod Suarez subinde indicat arboris simplicem contactum, peccatum non fuisse, aut leue, veniâ dignum; est verisimile: at, si sigillatim expresseque fuit iste à Deo interdictus, quod insinuauimus, non minus in contactu, quam ipso esu, est à graui crimine liberandus erit.

CAPVT IV.

LAPSVS ADAMI.

I. Lapsum Adami, verbulo, Geneseos liber cap. 3. v. 6. docet, oblatum, asserens, fructum arboris scientiæ boni & mali comedisse: quo duo solummodo delicta innuuntur, gulæ & inobedientiæ, ac

50. 49. 48. 47.

plane ſuperbia, aliaque eam comitantia Adami crimina, reticentur, alibi alijs in verbis non prætermiſſa, de quibus quærunt Theologi, quod fuerit primum Adæ peccatum, & quod ſecundum, referuntq; duas opiniones, vnam Doctoris ſubtilis in 2. diſt. 21. q. 1. primum peccatum fuiſſe amoris erga vxorem quendam exceſſum; Alteram Doctoris Angelici, 2. 2. q. 163. a. 3. Primordia peccandi à ſuperbia cœpiſſe, quod ſenſit quoque S. Aug. lib. 11. de Gen. ad lit. c. 39. & 42. lib. de Gen. contra Manichæos cap. 22. l. 1. contra aduerſarium legis & prophetarum c. 15. & alibi, & Chryſ. hom. 18. in Gen. hom. 31. in Matt. & hom. 6. in varios locos S. Matt. vnà cum Theodoreto, Nyſſeno, & alijs pluribus, atque colligitur ex verbis Dei Gen. 3. v. 22. *Ecce Adam quaſi vnus ex nobis factus eſt, ſciens bonum & malum*, quibus illi Dominus ſuperbiam per ironiam obiectat, velut præcipuum peccatorũ vnde reliqua ſcaturierint, vti aduertit idem Aug. dialo. 65. quæſt. ad Oroſium, q. 4. *Elatus* dicens *ſuperbia* (primus homo) *ſuaſioni ſerpentis obediens, præceptum contempſit*; atque hac ratione explano:

II. Non peccauit primò Adam, antequam viro mulier fructum offerret, licet incaſſum laborans putet Caiet. Deinde non peccauit, quam proximè audito ſerpente, quod culpam omnem in mulierem Adam conijciat, & mulier in ſerpentem. 3. Non etiam ex aſpectu comeſtionis Euæ deliquit, quod callidiſſimus ſerpens haud dubie non dimiſerit, vt coram Adamo compareret, donec inobedientia, comeſtione abſolutâ, plene corruiſſet; cuius habeo apertum teſtimonium S. Aug. 14. ciuit. c. 11. Peccaſſe itaque eſt neceſſe, muliere iam per ſerpẽtem, vt virum cõueniret, incitata, maritumque ſuum ad idem impelleret, &, *ſecum*, vt eſt in Hebræo, *comederet*, quod ipſa iam prius comederat. Quod vt obtineret, operæ pretium fuit, quidquid inficietur Pererius, l. 7. in Gen. circa illa, *deditque viro ſuo*, ſuadere perinde coniugi Adamo, atque illi ſuaſum fuerat à dæmone, cœpitq; ſic titillare ſuperbiæ materia, vt eam titillarat malus genius, & proponere, tum dignitatem omnis libertatis, à iugo omni extra ordinario imponendæ legis & obedientiæ, tum futurum Deorum inſtar, ſi guſtaret, atque ita omnino in ſuum facinus rapere protoplaſtum, quod ei ad votum ſucceſſit. Si dicas, Adamum in ſocietatem mulieris, ad-

eoque

eoque in nimium vxoris amorem conijcere totam culpam, cap. 3. v. 12. *Mulier quam dedisti mihi dedit mihi, &c.* Respondebo, illis non deriuari culpam in ipsam societatem mulieris, & in nimium amorē, sed tantum datam sociam fuisse mulierem, referri & narrari, eamque dedisse deinde, & seduxisse.

III. Secundum Adami peccatum, fuit omissionis, quod ita amarit, vt simul (quod ex officio velut caput tenebatur) neglexerit reprehendere & corripere loquentem vxorem, eamque audire ad mala inuitantem & pertrahentem (nolens eam contristare aut verius volens illi, iam ambitione inflatus abblandiri) perrexerit, quod Dei vox, cap. 3. v. 17. ostendit, dicens. *Quia audiuisti vocem vxoris tuæ, & comedisti*, nec dissentit S. Aug. lib. 11. de Genes. cap. 39. & 42. & alibi quando refert, ex beneuolentia erga Euam deliquisse. Verum enim est, ex beneuolentia, omissionis illo delicto affectâ, offendisse externo demum comestionis crimine: Quod cum dico, non idcirco affirmo, ab illo amoris excessu originem primam peccatum illud traxisse, quod haud aliter à nimio & superbo animo cœpit, quam cœperūt peccata omnia peccantis angeli supremi, Luciferi.

IV. Tertium Adami peccatum vt exponam, sunt nonnihil euentilanda illa S. Pauli, 1. ad Timot. 2. v. 14. *Adam non est seductus, mulier autem seducta in præuaricatione fuit*, quę Oecumenius, particula subintellecta, sic exposuit, Adam non est primo seductus, sed mulier; Haymo Halberstattensis ita, Adam non est seductus per serpentem, sed Eua, vt viro esset præuaricationis causa; Theophylactus autem, non est seductus Adam, iuxta literam scripturæ sacræ, in qua Euæ seductio expresse legitur, non autē Adami; Pererius, ait, quosdā sic interpretatos, mulierem formali dolo tentationis seductam, non vero virum formali fraude & dolo mulieris; alijs nonnullis commodus visus fuit hic sensus, mulierem seductam, dedisse humano generi omnis seductionis exordium, non virum, secundum illud Eccle. 25. v. 33. *A muliere factum est initium peccati, & per illam omnes morimur.*

V. Superfluas puto allatas exegeses, simpliciusque interpretanda Paulina, voce seductionis accepta proprie, pro abductione in spontaneum errorem, siue hæresin, sensumque esse, Euam solam, non A-

damum in errorem & hæresin pertractam; quem dedit S. Aug. lib. 11. de Gen. ad lit. cap. 42. & lib. 14. de ciuit. cap. 11. Adamo si quæ seductio est impingenda, erit metaphorica, Qua *errant omnes, qui operantur iniquitatem*, Prou. 14. v. 22. pluresque *Deum ventrem* sibi statuentes, Phil. 3. v. 19. qualem creditur agnouisse Apost Rom. 7. v. 11. Gal. 6. v. 22. Salomon Sap. 2. v. 21. & Regius vates Psal. 118. v. 176. nec aliud est, quam voluntatis quædam libera deuiatio, qua sponte id optat, vel acceptat, quod optandum acceptandumque non erat: aliud, si quispiam SS. Patrum, Adamo impegit, displicebit, illique S. August. opponam, qui nobis instar omnium est.

VI. Difficultatem mouent ista citati S. Aug. 1. quidem, quod Adamo hunc errorem adscripserit, credidisse futurum veniale, legem ob amorem mulieris transgredi. 2. Eundem existimasse, salua post esum Eua, etiam se, sumpto fructu arboris scientiæ, non moriturum. 3. Minimum dubitasse Adamum an non esset comesto pomo futurus sicut Deus. Non sunt porro tanti, vt solui nequeant. Quod enim 3. loco adductum est, August. verbis nequit docere, qui non alius affectationis diuinitatis Adamum arguit, quam metaphoricæ, quæ superbiæ vitio continetur: Secundum S. Aug. assertum, errore caret, quod tantum voluerit, Adamum putasse, vel statim non se interiturũ admisso scelere, vel posse Dei misericordia tandem à mortalitatis pœna fortasse absolui, tuisseque eius comminationem hypotheticã, idque præter fidem, non vero contra existimasse, fuisseque errorem humanum, non diuinum, id est, fidei diuinæ, qua nunquam oppositũ expresse didicerat, non repugnantem. Primum hinc quoque expedio, veniale credidisse futurum suum delictum, id est, venia donandum, interueniente Dei singulari commiseratione, non autem veniale. 1. leue, & nequaquam graue lethiferumque, quod respondit S. Tho. 2. 2. q. 164. ar. 4. ad 3.

VII. Tertium itaque Adæ crimen, non fuit, quem iam eliminaui, error in sacrosanctam diuinam fidem, sed fuisse existimandum est, acediam & indignationem in Dei præceptum, siue quandam stolidã diuini præcepti displicentiam, quam etiam Euæ concessi, cuius crimina cætera proxime accepit maritus. Tertio quartum hoc subiun-

go,

go, nimia curiositate flagitasse experientiam ligni scientiæ, quam nomine sacrilegij videtur intellexisse Aug. ca. 45. Ench. siue sacrilegæ humanæ fidei. Quintum est inobedientia, accepit enim fine nõ obtemperandi pomum. Sextum gula constituit, qua acceptum comedit. Septimum, temeraria excusatio peccati adfert, de qua aliqua circumfertur sententia Augustini, quasi sermon. 19. de Sanctis, contendisset, *quod si Adam se non excusasset, à paradiso non exulasset*: sed sermo est spurius, & sententia non solida. His octauum aliqui adijciunt, prodigalitatis, tanta bona peccando prodegisse, quæ pro se & posteris suis oblatione diuina munificentissimè acceperat.

CAPVT V.

Criminis grauitas vtriusque Parentis.

I. CErtum quidem est, quibusdam peccatis pares fuisse Euam & Adamum, v.g. superbia, inobedientia, gula, quod significauit Aug. lib. 11. Gen. ad literam cap. 3. *Euam*, asserens, *peccasse impari sexu, pari facto*; Adamum tamen nonnulla consideratione grauius peccasse, quem scimus ignobilius tentatum, à fœmina scilicet, maiore cognitione & robore præditum, maiorique obstrictum fuisse vinculo crimen cauendi, quippe qui esset constitutus mortalium omnium caput, & persona principalis, ac publica, quæ non ignoraret, quantũ suâ transgressione toti mundo nocumentum esset apportaturus. Etsi vero Adam illas ob circumstantias grauius deliquerit, nihilominus tamen liquet quoque, in præcedentibus quibusdam peccatis ab Eua Adamum superatum, quod infidelis & hæretica fuerit, adeoque pertinax in scelere, Adam minimè; quod adauxerit reliquum scelus suũ fœmina, dum ex hæreseos lue seipsam impulit magis & magis, tum ad plenam comestionem expediendam, tum adviri sui seductionem; quod plus superbiæ emicuerit in sceleribus Euæ, quam Adami, Adamo ex perturbationibus nimij amoris, subsequentia potius proxime agente, quam ex elatione; atque quod scandali vitium valde inflammauerit mulierem, non virum, qui tantum post commissam superbiam fere defecit ex vxoris neglecta correptione, & nescio qua animi mollitie. Accedit ad hæc omnia, quod plura flagitia mulieris, quã viri recenseantur, quod ex ante dictis patet.

II. Hinc concludi posse arbitror, absolutè, omnibusque bene pō-deratis, ob virilis fortitudinis, ob publicæ personæ, & ob illati nocumenti circumstantias, Euam leuius, grauius autem Adamum peccasse, quæ fuit & Caiet. & Bell. li. 3. de amissione gratiæ, cap. 9. mens; at vero, spectatis solummodo ijs secundum se vitijs & criminibus, fædiorem fuisse Euæ, quam Adami maculam, quod docuit S. Tho. 2. 2. q. 163. & cum illo plures quibus consentit Pererius lib. 6. in Gen. disp. de grauitate peccati primorum hominum; cui fauet S. Chrys. ho. 7. ad populum, epist. 7. ad Olympiadem, & in psalm. 6. comment. & ex communiore recepta sententia, fermè omnes interpretes.

III. Quæstiuncula est alia, an vtriusque parentis primi peccatum quorumcunque peccantium criminibus fuerit grauius; de qua quidam affirmant, ipsis peccatis consideratis, multo grauius fuisse Luciferi, Iudæ, principum Iudeorum, Christum crucifigentium, Arij, Lutheri, & similium, qui pluribus, & fædioribus peccatis, ac malitia insigniore Deum offenderunt, blasphemia, odio, turpiore hæresi, vel infidelitate, inuidiâ, alijsque, & grauissima ingratitudine, desperationis vitio maculatissima; spectata porro copiosiore sapientia, perfectiore voluntate, fortitudinis, aliarumque heroicarum virtutum plenissima, debiliore ex femina allata impugnatione, instructione diuina potissima, Adamo communicata, præcepti iniuncti tenuitate, comminationibus clarissime propositis, personæ qualitate, & cum primis periculo damni ingentis, alijsque conditionibus adiunctis, grauius multò fuisse primorum parentum, primum flagitium, ingratitudinis quoque grauioris nota affectum, quam cæterorum hominum, & fortasse etiam quam Luciferi, in eo saltem, quod vnicum Adæ crimen plus statim obfuerit, quam illud mali angeli, quod nulli nocuisset, si libero consensu omnes restitissent reliqui angeli, qua sententia assentimur S. Tho. ita decidenti loco cit. a. 3. & Aug. 21. ciuit. cap. 12. qui inquit, *Quanto homo magis fruebatur antea* DEO, *tanto maiore postea impietate dereliquit* DEVM.

CAPVT VI.

Primæ admissi peccati pœnæ.

1. DEtecta est culpæ conditio, eiusque grauitas, quam subsequuntur

pœnæ

pœnæ, quas duplices luerunt, alias, in Denunciatione singulari Dei, qua serpenti pœnam suam, vti & mulieri ac viro denuntiauit, fusiusque explanauit, non comprehensas; alias, in ea denunciatione comprehensas. Ago nunc de non comprehensis, quas indicauit cap. 3. Gen. v. 7. & 8. hisce, *& aperti sunt oculi eorum, cumque cognouissent se esse nudos, consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizomata, & cum audissent vocem* Domini Dei *ambulantis in paradiso, ad auram post meridiem, abscondit se Adam & vxor eius, à facie* Domini Dei *in medio ligni paradisi, &c. dixitque Adam, mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi.*

II. Monstrant hæc multiplicem peccati parentum nostrorum pœnam, quæ simul inuoluant alias, sine quibus illæ vix subsisterent. Non enim adapertio oculorum, nuditatis agnitio, vestitus parandi necessitas, iræ aduentantis, & terrentis Dei perceptio, pauor, quo afflictus Adam, & friuola eius excusatio, inter pœnas apte recenserentur, si non præcessissent hæc omnia, ipsa offensio, iræq; Dei omnipotentis, Adami in seipsum, prouocatio, ex quibus deinde sublata sunt omnia diuina dona, & tota iustitia originalis, exsurrexitque hostilitas quædam primarum animi facultatum erga Deum, & appetitus sentientis aduersus rationem rectam, motusque inuerecundi in ipsa carne, eorundemque experientia & agnitio, nuditatisque erubescentia, inter quæ omnia iste subsequens statui potest ordo.

III. Offensus initio est Deus, & deinde vindex sustulit gratiam iustificantem, & omnia coniuncta, totamque iustitiam originalem, vna cum iuribus retinendorum auxiliorum, excitantium, adiuuantiũ ac fidei, spei, charitatis, aliarumque virtutum exercitijs deseruientium, imo conseruandæ fidei iura gratuita omnia. 3. Triplex diuortium secutum est, vnum, Deum inter & mentem, alterum sensum inter & mentem, tertium brutæ inter & hominem imperãtem. 4. Vermis conscientiæ est exortus, siue affligens testimonium conscientiæ de patrato scelere. 5. Motus inuerecundi in ipso corpore sunt enati. 6. Illa apertio oculorum, siue sensilis experientia fædæ rebellionis, & erubescentia exsurrexerunt. 7. Probrosæ nuditatis agnitio. 8. Ad perizomata siue feminalia paranda confugiendi necessitas. Iunxit

his

his omnibus Deus ſuam ſingulariorem metuendam præſentiam, vocemque perterrefacientem. Cępit enim in paradiſo deambulare, arbores concutere, tonare, alioſque fragores terribiles exſuſcitare, ac per paradiſum velut continuo exclamare, *Adam vbi es*; Adam vero fugere, & ſtulte ſe abſcondere, ac denique ſe excuſare, ex quibus triplex rurſum noua pœna colligitur, ac eſt nona, terror diuinæ vocis; decima pauor Adami, & perfugium ad latebras; vndecima Adami ſtulta excuſatio.

IV. Suſpiciunt aliqui, primum veſtitum ſibi protoplaſtum è foliis ficuum paraſſe, quibus S. Ireneus l. 3. cap. 37. faceret ſatis, ea delecta ob aſperitatem, inſtar cilicij apta ad exercitium pœnitentiæ, ſi iam tunc rectè eum criminis pœnituiſſet, quod credita difficile eſt, ob ſubſecutas excuſationes: probabilius eſt, magna nuditatis aduerſæque erubeſcentiæ afflictione primo obuium, quod tegendæ rebellionis aptum haberetur, arripuiſſe, quantumuis vile, & vix ad diem durabile.

V. Alij ſtupent, vnde vocis diuinæ notitiam pararit Adamus; ſed facilis eſt reſponſio, ſciuiſſe, ſe & vxorem præter, non eſſe alios homines, ac hinc argumentatione vlteriore vocem eſſe aduentantis Dei agnouiſſe, rem promouente, ſimul cum conſcientię augurijs, memoriâ, quæ refricabat ſimilem aliquando Dei vocem à ſe auditam, quãtumuis non ea horribilitate. Afflixit illa vox, non modo quod metũ magnorum malorum incuteret, exigeretque Adamum ad pœnas, ſed quod initium eſſe ſuſpicaretur exequendæ comminationis, *quacunque die comederis, morte morieris*. Per Angelum, Dei perſonã gerentem, cuius non eſt ambulare, eam formauit Deus, poſt meridiem, inclinante die, zephyris leni aura aſpirantibus.

VI. Magis mirantur nonnulli, fugam Adami, aiuntque, itane ſapientiſſimus Adam non animaduertiſſet diuini numinis perſpicaciam, ſeque intra quacunque ligna & ſyluas Deum non poſſe latere? quibus viciſſim miror non occurriſſe, iam ſatis ſtultum è peccato velut redditum, amiſſiſque maximis bonis fuiſſe afflictiſſimum, ac ita non aduertiſſe ad Dei immenſam infinitamque intelligentiam & perſpicaciam: ac fortaſſe etiam ſenſum verborum Dei non intel-

lexiſſe

lexisse, qui non voluit significatum se latere, vbi sit Adam, verbis *Adam vbi es*? sed vt Adamus expenderet locum in quo esset, in eoque esse simul ipsum Deum, adeoque non peccasse modo, sed coram ipso Deo peccasse & offendisse. Similem stultitiam prodidit Adam, vana excusatione, satius fuisset, si radicem ipsam peccati sui asseuerasset, petijsset que indulgentiam, quod eo tempore debuisset, atque non tergiuersari, ac si Deus non quam optime sua pernouisset, qua in pœna nouam etiam culpam contraxit.

VII. Mirum alijs magis videtur, cur statim ac peccauit, Eua nuditatem suam non notarit, cur tam nudè ac inuerecunde adierit virum, eumq;, velut adhuc integra & sana natura, sollicitarit? quibus male occurrit Francis. Aretinus, eo quidem tempore sanctitatis bona amisisse, nõ tamẽ Originalis iustitiæ, ac si à sanctitate iustitia prorsus seiuncta fuisset; Melius autem expediunt nodum, qui ex occupatione præpeditam volunt, vt non persenserit & erubuerit. Erat enim tunc inani persuasione, perceptis delicijs, valde gaudens, easque, nouas adhuc, pro se & marito quærebat, totaque in hoc intenta, vt virum supplantaret, adeoque rebellionem intus surgentem non aduertit.

VIII. De scientia & fide Adami nonnulla est difficultas, amiserit ne vtramque, aioque fidem debito & iure amisisse, vnigeniti tamen filij sanguine? velut agni ab origine mundi occisi, interueniente apud Deum Patrem, retinuisse, sicut & auxilia salutis consueta. Scientiam eam, quæ natura sua erat ordinis naturalis, amplissime autem à Deo, munere singulari, fuit indita, non plus crimine suo perdidit, quam Lucifer species rerum, quæ impressæ nominantur, ob naturalium rerum scientiam à Deo immissarum, narratque Iosephus monumenta etiam post diluuium visa, scientiæ suæ à Deo infusæ reliquisse.

IX. Non est eadem ratio moralium habituum, qui, integritatis maioris naturæ gratia, fuerunt communicati, Adamo, & Posteris; non item scientiæ, ad nepotes non transfundendæ, ac proinde illis est priuatus, his non plus, quam ea scientiâ, quam acquisissent proprio labore, quam, licet peccassent, reseruassent.

CAPVT VII.

DEI *insurgentis in serpentem vox.*

I. DEnunciaturus iustissimus DEVS primis peccatoribus singulariores pœnas quasdam, præter allatas, etiam in serpentem insurrexit, eique suam pœnam hac voce declarauit; *Quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animalia & bestias terræ; super pectus tuum gradieris & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ. Inimicitias ponam inter te & mulierem, semen tuum & semen illius, ipsa conteret caput tuum; & tu insidiaberis calcaneo eius.* Hæc serpenti tunc quadrupedi dicta, literali sensu putauit Didymus apud Liponam, in catena Gen. 3. nullo rationis fundamento nixus, ac si scilicet etiam pœnam sibi dictam, nescio quo beneficio, intellexisset, & ex intelligente in non intelligentem postea transijsset; præ quo grandius Ephrem exorbitauit apud Barcepham, si modo fideliter Ephremum citauit, qui dicta serpenti velut naturâ intelligenti animanti existimauit. His probabilius locutus est 2. 2. q. 163. art. 3. ad 4. Ex mente S. Aug. Bedæ, & Ruperti, Doctor Angelicus, hæc non serpenti, intentione præcipua, sed diabolo, esse denunciata, cui per tropum serpentis proprietates applicarit Dominus, & minus præcipua intentione, propria quamuis, serpenti tribuerit, quantumuis obstet aliquis (Benedictus Pererius) qui serpenti proprie ex diuina præcipue mente accommodanda scriptum reliquit, & simul diabolo, cuius serpens erat non tantum instrumentum, sed etiam typus; & alius obsistat quoque, qui duos hic literales sensus, æque principales, instituit; quorum vno pertinere inquit ad diabolum, sensu metaphorico, vt voluit S. Thomas, altero ad serpentem, vt contendit Pererius, sensu proprio.

II. Secundum primam propriamque verborum significationem, apte illa serpenti, non qua ratione est præcise serpens, sed qua ratione reseruatus est à Deo in pœnam hominis, congruunt, cuius maledictio non tam serpenti quam homini officiat, ante lapsum enim, nullis vllibi erat hominibus maledictus & noxius, at vero post lapsū. Maledictus itaque habendus est, quod homini noxius, horridus, abominabilis, venenosusque esse cœperit, DEO non amplius serpentis naturale odium in genus humanum vel coërcēte, vel impediente; atque

que qui ante innoxius repebat & incedebat supra pectus, sine detrimento hominis, & reptatione sua homini insidias non struebat, post admissum scelus, noxie orsus est reptare, insidias struere, ac re ipsa insidiari. Terram nunc idem etiam comedit hominis damno, dum terræ se inuoluit, aduentantem hominem veneno suo, & mordacitate iam incipit enecare. Generale est passim istud iam omnibus serpentibus, ijs tantum regionibus exceptis, quibus Deus aliquod ob Sanctorum quorundam merita priuilegium concessit, quale impertijt Melitensi, fusè explicatum à Cornelio Cornelij initio Cõmentariorũ in S. Pauli epist. agẽs de prærogatiuis S. Pauli n. 70. Ex his cõficio, veras nunc inter mulierem eiusque semen, & inter serpentem serpẽtinumque semen esse inimicitias, cuius calcaneo sit serpens infestus, muliere idonea, & prole, vt caput eius conterant, cuius experientiã adfert Rupertus, enecari serpentem, si nuda planta, mulier præueniens dolosi serpentis dentem, caput eius presserit. Illa, *Quia fecisti hanc rem*, idem valent, quod quia per locutionem tuam ruit Eua & iste est peccati effectus subsecutus, illa etiam subsequuntur, & deinceps subsequentur, vt sis maledictus, gradiaris super pectus, terram comedas.

III. Metaphorica eorundẽ verborum significatione, quæ D. Thomæ est præcipua, quam is, quem allocutus est DEVS, intellexerit, optime diabolo, quasi vestito serpente, aptatur isthæc pœna. Dæmon enim, illis Dei verbis, miserabilior declaratus est omnibus bestijs terræ, modo simili, quo vsus est S. Paulus 1. Cor. 15. n. 19. quæ beatitudinis nihil deperdiderunt, sed in suæ naturæ conditione perstiterunt & perstabunt, Dæmon autem à beatitudine excidit, & conditione sua vilior quam fuerat conditus, est factus, omnib. hominib. terribilis, abominabilis, & noxius redditus, ac plenus maledictionis; potissimũ post Adami prolapsum in scelus; quam in sempiternum non amittet, ac nunc super pectus suum graditur, imo ventrem, id est, superbiæ, quæ robusto pectori imputari solet, & luxuriæ, quæ ventri venena, vbi licet afflat, modulis rationibusque impensè studet, & nunquam recte assurgit ad cœlestia. Terram comedit idem, omnib. dieb. vitæ, illius nimirum vitæ, quæ ei in hoc militante mundo contra ho-

minem conceditur, id est, terrenis cogitationibus & vitiosissimis afficitur, ipseq; se & homines pascit, se, quod cibus eius sint, terrenis immensi; homines verò, quod peccatores, luto superbiæ luxuriæque delectentur, de quibus asserit sacrarum litterarum textus Gen. 3. v. 19 esse *terram & puluerem*, & S. Petrus dixit, ab aduersario diabolo ad deuorandũ quæri. 1. Pet. 5. v. 8. Inter diabolum vero, eiusque angelicos satellites, qui sunt velut semen diaboli, & inter mulierem eiusq; semen inimicitiæ sunt fixæ, pœnitentia duce, qua multæ sanctæ animæ dæmonis caput, superbiam & astutiam, contriuerunt, etiam in ipso calcaneo, qui est, vel extrema vitæ nostrę horula, vel ipsum principium, quo se exerit vsus rationis, potest enim accipi calcaneus pro initio, & pro fine.

IV. Intellexerunt multi, per mulierem, antonomasia quadam, B. Virginem, & per semen, virginis Filium, omnesq; fideles. Illa viribus, à filio acceptis, varie contriuit caput serpentis, in conceptione, natiuitate, totaque vita sua, & morte ipsa (calcanei nomine expressis; qui est primum membrorum, si à pedibus fiat initium, & extremum, si numerationis exordium sit à capite) ac quam præclare, passionis Dominicæ tempore, quo stabat iuxta crucem, deuotione sua pro auferendo peccato simul cum filio offerens opt. ter. max. dominicam illam passionem & mortem. Contriuit idem suis meritis & satisfactionibus, semen mulieris, Christus, à quo tributum est, vt & mulier & reliqui fideles calcare dæmonem pedibusq; subijcere possint. Vide in hæc verba Pererium, qui ex his concludit, ab initio mundi ab Adamo & successoribus semper intellectum fuisse, Christi (qui moriens totum mundum, quantum est ex parte sua, eripuit à potestate tenebrarum, & transtulit in regnum suum) contra dæmonem futuram victoriam.

V. Ambigunt nonnulli, heterodoxi præcipue, sitne legendum (ipsa) an (ipsum) vt referatur ad semen, non ad mulierem, eritque nõ incommodus sensus *semen*, Filius virginis, Christus, cum primis conteret caput dæmonis, sua satisfactione, & deinde, virtute à Filio participata, mulier, & qui nascentur ab illa reliqui. Quia vero veteres latini codices, cum Chrys. legerunt (ipsa) & margines antiquorum libro-

brorum hebraicorum docent, tum, *hu*, quod ipsum significat, tum, *hi*, quod ipsa notat, legi posse, sensu bono, erroris vacuo, quæ vt reddidi, non video cur debeat textus vulgatæ editionis reprehendi, qui etiã eò gratior est, quod Deus maxime inimicitias diaboli, cum muliere futuras, voluerit interminari. Accedit, pluribus locis sacrarum litterarum *hu* pro *hi* poni, vt Gen. 3. v. 12. & 14. Gen. 17. v. 24. & 44. cap. 38. v. 21. & 29. & alibi.

V.I. Exposui vocem Domini ad serpentem, quæ nullam diabolo nouam pœnam inflixit, præter accidentalem obiurgationis, & exprobrationis perpetuæ, & irreuocabilis maledictionis, sed homini verius, cui miseriam statumque Cacodæmonis patefecit, vt pariter nequissimum suum hostem intelligeret, & quam indignum fuerit audire, tentatorem talem, inviliſſimo & insidijs plenissimo serpente loquentem, quod tamen non sine insigni adiuncta consolatione expediuit, posse *hominem conterere caput, serpentis.*

CAPVT VIII.

Adamo & Euæ inflicta supplicia singulariora.

I. SVpplicia & pœnas, mulieri prius, quam Adamo, inflixit, & fœminæ quidem triplices, quarum est prima, *multiplicabo ærumnas tuas & conceptus tuos. Secunda, in dolore paries filios tuos. Tertia, sub viri potestate eris.* Prima, non statuit in nuda conceptione supplicium, sed quod verba, coniunctiue per hendiaden, hebrẽis frequentem, explicanda, exigunt, in ærumnis, etiam ipsa in conceptione tolerandis, eoque maioribus, quo sæpius iterabuntur, norunt illas non modo coniugatæ & viduæ, quas maximè concernunt, sed quoque virgines, quæ etiam à materia conceptuum, sexus conditione, tædia & ægritudines non raro patiuntur, exiguas licet, præ illis, quas tollerare coniugio iunctæ, omnesque non virgines debent. Crescunt dolores, si intelligant maleuolos, monstrosos, notatos, aliterue calamitosos peperisse. Altera fuit, *parituram in dolore filios*, quæ in paradiso, stante homine, locum Dei singulari prouidentia, non habuisset, nunc autem obtinet, & tantopere, vt similes parturientis doloribus vix possint excogitari.

II. Tertia illa, *Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui*, nullam

fortasse pœnam pronuntiat, præter vnã, eam, quæ verbum *dominatur* continet. nam si ipsa institutione naturæ, mulier viro subijcitur, fuisset que subiecta in ipso fœlici innocentiæ statu, in quo instar adiutorij ipsa viro fuisset, ancilleque muneribus obnoxia, Regenda per virum, velut infirmior sexus, minusque prudens, non est hic alia, præter vnam nominatam, constituenda pœna. indicat vero illa, dominandi, particula, mulierem esse debere sub viri potestate iure dominandi, & coercendi affectâ, fœminæ admodum ingratâ, quæ sæpè nunc, vel dolens viro obedit, vel correptionis ob transgressionem & coactionis viri, est impatiens; vel ea, quæ libido viri dictarit, volens nolensque sustinet; vel etiam, aut petulantia incitãte, aut nimia molestatione, in virum, excussura iugum, insurgit; quod præ alijs singularius notauit Rupertus, lib. 3. in Gen. c. 1. & S. Tho. 2. 2. q. 168. art. 2. ad primum.

III. Viro Deus etiam, aut pœnas triplices, aut eiusdem pœnæ tres particulas, imposuit, ex quibus est prima, *maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea, omnibus diebus vitæ tuæ.* 2. *Spinas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbam terræ.* 3. *In sudore vultus tui vesceris pane tuo, donec reuertaris in terram, de qua sumptus es.* Harum prima postulat tantum, terram in posterum vtcunque sterilem futuram, idque persæpe sensurum hominem, nõ sine aliquo fastidio, etiam post impensum molestum, difficilemq; laborem, quo victui necessaria sibi est paraturus.

IV. Secunda nil aliud proponit, quam spinas & tribulos terram producturam, qui molestent & pungant vrantque, atque terræ culturam & fæcunditatem non parum impediant, quod ante, suaui Dei gubernatione agente, non intulissent, quo tempore herbam comedendam, terra protulisset absque cuiuspiam offensione, dolore, & afflictione, imo in paradiso, vt putant plerique, sine spinis etiam.

V. Tertia pœna, duplicem parit difficultatem: vnam cur singularius panem expresserit, alteram cur dixerit *in sudore vultus tui vesceris pane tuo*, priori respondeo, panis mentionem factam, quod sit inter cibos præcipuus ad vitæ sustentationem necessarius, qui plura requirat, quam prope vllus alius, quod ex paratione, semination e, mes-

se,

se, tritura, pistura, coctione, liquet; posteriori vero facio satis, quod semper sit aliquibus cibi gratia sudandum, imo omnibus fere, qui quantumuis non pro pane omnes proxime laborent, tamen non sine difficultate, quam verbum, *sudandi*, hoc loco cumprimis suggerit, militando, regendo, docendo, alijsque modis. Vnicam agriculturæ difficultatem expressit, velut eam, ad quam reliquæ referri solēt, quæ ad vitæ sustentationem faciunt. Subijcit tam diu duraturam eam pœnam, donec in terram resoluatur, vere puluis de puluere sumptus, quod subiunxit, vt homini inculcaret sententiam, & comminationē diuinam illam, implendam, *quocunque die comederis ex eo* (fructu arboris scientiæ) *morte morieris*, egebatque vir, dominaturus, humilitatis freno valde indigus, magis hac voce, quam mulier.

VI. *Iugum istud*, hactenus explicatum, *est graue* Eccle. 40. v. 1. *Super Adam, à die exitus de ventre matris eorum, vsque ad diem sepulturæ in matrem omnium*; de quo vnica adhuc supereſt quæstiuncula, vt subsistat nimirum minarum diuinarum veritas, & quomodo ipso die, quo comederat vetitum fructum, mulctatus homo sit morte; cui satisfacio, distinguendo duplicem mortis acceptionem, vnam, pro vitæ negatione, alteram pro ipsa illatione mortis, priori non est statim mortuus homo, posteriori cæpit statim pedetentim emori, sine vllo remedio relictus, deperdendo humidum radicale, plene nusquā restituendum, dum penitus tollatur ipsum, & homo. Alij aiunt, mortuum ipso comestionis die, quod redditus sit obnoxius morti, atque tunc morti destinatus, eam tandem aliquando persoluturus.

CAPVT IX.

Tempus & circumstantiæ variæ eiecti à paradiso Adami.

I. VIX audierant pœnas suas primi homines, quando nominauit vxorem suam, non consolationis ergo, vt arbitratur Cornelius à Lapide, qui putat iam eiectis nostris parentibus è paradiso nominationem accidisse, quod non opinor, sed exprobrationis & antiphrasi-

50. 49. 48. 47.

στιχῶς, *Euam*, hebraicè, *Chaſſa*, viuentem, quod viuentium mater eſſet futura, vere non viuentium, ſed morientium, tantum parens, & abſque dubio dedit id Euæ non parum afflictionis, quin etiam nobis omnibus, quam vtcunque moderata eſt noua Eua, Deipara, æternæ vitæ mater, vt locutus eſt S. Epiph. hær. 78. *Soluit enim maledictionem deditq; benedictionem.*

II. Hoc nomine exaudito, pelliceas tunicas, reiectis folijs, iam prope aridis, induit eos dominus, idque non figuratè, aut myſticè, intelligendũ, vti nonnunquã voluit Origenes, ſed proprie & hiſtorice in proprio literario ſenſu, pellibus ab animalibus, angelorũ miniſterio detractis, vel omnipotẽtis Dei manu efformatis, vt neq; per pelliceas tunicas intelligendæ ſint tunicæ, ex corticibus arborum, quas intellexerunt Theodorus Heracleotes & Gennadius, aliudque non capiatur pellitæ, veſtis, voce, quã facile parabilis veſtis, quam ouis, aut ſimile pellitum animal, tribuerit, villis & pilis inſigne, mortalitatis monitrix, hyeme deſeruiens applicatis corpori villis, æſtate inuerſa parte, more adhuc paſtoribus in Italia vſurpato.

III. Pellibus exornatis hominibus, Deus Pater, alloquens reliquas SS. Trinitatis perſonas, ſic ironia Adamum, authore Abulenſi cap. 13. Gen. 4. 486. excepit, *Ecce Adam, quaſi vnus ex nobis factus eſt.* miſer ſcilicet ille Adam, Deus ne eſt, & vnus ex nobis? Non eſt aſſecutus quod affectarat, ſed omnia contraria, atque non ſibi ſcientiam, ſed ignorantiæ quoddam potius barathrum ſibi vel ſaltem ſuis poſteris parauit. Affectauit ille immortalitatem diuinam eſu fructus interdicti, nunc vt id fiat cauendum eſt, & paradiſo expellendus, *ne ſumat de ligno vitæ, & viuat in æternum*, quod ſcripturam Apoſiopeſi expreſſiſſe dictum fuit in ſuperioribus, atque vltimam condemnationis ſententiam SS. Trinitas edixit.

IV. Condemnationis ſententiâ prolatâ, & pellitarum veſtium dato ornamento, *Emiſit illos è paradyſo voluptatis*, cap. 3. Gen. 11. 23. imo vt eſt ibidem v. 11. 24. *eiecit* & inuitos expulit, atque ſonant verba, neque deductos, vt Tobias à Raphaële, aut Loth ab angelis, Sodomam viſentibus, neq; abreptos, vt Abacuc ab alio angelo, ſed vi exturbatos & propulſos, & quaſi fuſtuario & verbere extruſos.

V. Tra-

V. Tragædiam dedi, de qua non pauci rogant, quo sit tempore gesta. Credit Cornelius à Lapide cum Irenæo lib. 5. contra hær. cap. 23. & apud Lipomanum in catena, Diodoro Tarsensi, & iuxta Pererium Barcepha (quem non satis propriam sententiam aperuisse ego reor) eodem omnino die eiectum, quo factus est, ac existimat probabile, hora nona matutina factum, & tertia pomeridiana expulsum, tantumque horis sex hæsisse in paradiso, quem non nemo alius, multo ante nonam productum procreatumque scripsit, illa autem nona in paradiso collocatum, hora duodecima deliquisse, & ante occasum solis è paradiso exclusum arbitratur. Introducta videtur hæc opinio, vt tanto aptius concepti Christi passique dies, corresponderet diei creati Adami, & ob peccatũ paradiso priuati, & posset dici dati dãni die, etiam notatus dies, quo pretium redemptionis penderetur & solueretur in prænotato crucis ligno. Contextus etiam, nonnullius opinione, quid tale ingerit, sic enim creationi & paradisiacæ habitationi & tentationi, pœnæ subduntur, cap. 2. & 3. Geneseos, atque si continenter omnia, velut vno die, essent peracta.

VI. Si porro ad trutinam reuocetur sacra scriptura, non video vnde magis colligatur, post creationem & paradisiacam habitationem, statim eodem die subsecutam tentationem, quam non subsecutam, ac videtur quibusdam, nec diuinam condemnationem satis insinuari proxime post peccatum institutam, vti quoque non innui, non ad aliquos dies dilatam; è qua obseruatione natæ sunt aliorum sententiæ, Abulensi asserente duobus circiter diebus in paradiso permansisse, alijs, quatuor, Pererio autem octo, & nonnullis 34. tot nimirum quot annis vixit Saluator, aut 40. tot quot Christus ieiunauit. Tanta hic est varietas opinionum, & singularum tam infirma fundamenta vt inde concludam, coniectare quidem aliquid licere, nihil autem certi constituere. Adferre è coniecturis licebit aliquot, quibus videatur obtineri, non ista omnia eodem die facta.

VII. Coniectura prima, lapsum Adæ & eiectionem è paradiso, die eodem contingere non potuisse, quo Adam est formatus, Esto, quod ea multa transacta referant sacræ litteræ ante tentationem, quæ sola sat sint integro diei, creatum nimirum Adamum, & paulo

post in paradisum delatum; Ad Adamum adducta animalia, omnia, bene accurateque lustrata, ijs nomina imposita, & dimissa, in bene longum soporem siue Ecstasin incidisse, in qua mira, peruiderit, è costa Adami fabrefactam fœminam, initumque matrimonium, cum muliere fuisse conuersatum, atque etiam cum Deo, iniungente præcepta singularia, & angelis, quibus adijce hortum, in quo positus fuerat vt operaretur, etiam mora non parua temporis lustrasse, & examinasse, mulierem ab Adamo ambulationis gratia diuertisse, vt tandem ex digressu commodam tentādi occasionem satanas nanciscereturHis iungit Iosephus lib. 1. Antiq. cap. 2. alias 3. & Damas. lib. 2. de fide cap. 10. familiarem aliquam oblectationem, è serpentibus Euam collocutionis crebræ vsu accepisse, quæ deinde attulerit dæmoni causam, Euam experiendi singularius per serpentem; atque est valde verisimile, astutum genium, valde intentum in perniciem generis humani, non ita crasse tentationem adortum, contra tantis donis & bonis circumuallatum hominem, prudentissimum, sed circūspexisse opportunitatem, velut certissimam, vt non suspicantibus hominibus ruina succederet; omniaque affabre in sua commoda sic adornasse, vt videretur non esse effugiendæ prolapsionis vlla rimula.

VIII. Altera coniectura hæc est, plerosque mundum conditum velle circa æquinoctium, vt hominem conditum possit dici die æqui noctij, quem Nicenum primum concilium magno consilio, 21. diei Martij, eam forte ob causam adiunxit; asserere autem plerosque à diabolo deceptum hominem 25. Martij, eo quo Christus refertur incarnatus & passus, atque ideo debuisse inter creationem Adæ & commissum primum crimen intercessisse quinque incompletos, tres autem completos dies, intra quos potuerint plerique, si non omnis generis, fructus delibari, vere vt possimus affirmare, Euam dixisse verissime, *de fructu lignorum quæ sunt in paradiso vescimur, &c.* Quod enim aliqui asserunt, in paradiso nihil comestum ante diaboli fraudem, non fit verisimile. Et S. Aug. aduersatur, lib. 11. de Genes. ad litt. cap. 31. cui non contradicit sermo. 65. de tempore, qui ait, *quamdiu ieiunauit, in paradiso fuit*, quod ieiunij verbo largius vsus sit, pro abstinentia à cibo uetito.

IX.

IX. Tertia est, ante septimum mundi diem, certissimum videtur non deliquisse, quod die illo omnia creata adhuc valde Deo placuerint, Gen. 1. v. 31. & c. 2. v. 1. & 2. Deinde octauo etiam non offenderunt, quod fuerit sanctitatis ille totus, teste scriptura; atque verisimile est non tertio post septimum deliquisse, ob hærentem, ab homine in sabbatho sanctitatē comparatam; & similiter quarto die ob animi impulsus ex sabbato perceptos, nondum conquiescentes, verisimile nō est offendisse, turpiusque videtur, quam vt diuino homini impertiamur. Aduigilauit interim ira inuidiaque plenus serpens, vt è paradiso excludere homines, & ab omni felicitate, sed non sine vafritie, ideoque nec etiam nimis citò cœpisse tentare nec nimis diu distulisse est probabile, videbimus quasi medium attigisse, si quinto die peccasse statuamus, & eodem post Dei deambulationem, è paradiso exturbatum.

CAPVT X.

Cherubini & flammeus gladius.

I. DE Cherubinis & flammeo gladio, Gen. cap. 3. v. 24. inquit, *Eiecitque Adam, & collocauit ante paradisum voluptatis, Cherubim, & flammeum gladium, atque versatilem, ad custodiendam viam ligni vitæ.* Vnusne fuerit an plures Cherubini, non satis liquet, quod aliquando singulari numero, aliquando plurali in sacro codice Cherubini nomen accipiatur. Angelos significare hoc loco negarunt non pauci, & inter reliquos Angelicus Doctor, qui 2. 2. q. 165. ar. vltimo dicit esse zonam torridam, cum Tertul. in Apolog. Abulensis & Iyranus ignem paradisum ambientem, Theodoretus & Procopius esse μορμολυκια, & spectra quædam, terribili forma, eorum terriculamentorum instar, quæ auibus fugandis in hortis poni solent, alij aliud. Aptior porro est explicatio, significare veros angelos, proprijssimeque accipi, vt plerumque aliâs scriptura, quæ fere alibi per Cherubim, angelos intelligit, teste S. Chrys. lib. de incomprehensibili Dei

natura. Athan. ſuper verbis, *omnia mihi tradita ſunt*, Dion. lib. de cœleſti Hierarchia, & alijs.

II. Videntur aſpectabiles fuiſſe, humana figura, ferreum gladium verſare apti, quos ſenſilis homo formidare poſſet, de numero chori angelici ſupremo propinquiſſimi, vt hinc iuxta & ex cap. 6. Eſa. quo proponuntur Iſaiæ Seraphini, colligamus, ex omni choro ad homines Deum miſiſſe Angelos, atque accurate ſcripſiſſe hebræam Epiſt. cap. 1. v. vlt. *Omnes eſſe adminiſtratorios ſpiritus, in miniſterium miſſos, propter eos qui hæreditatem capient ſalutis.*

III. Flammeum gladium aliqui myſtice tantum expoſuerunt, & Rupertus, neſcio quem ignem, præ foribus cœli arbitratus eſt, quem examinis cauſa omnes tranſeunt, vt etiam SS. Apoſtoli ab eo tuti non fuerint, eumque tranſiuerint; regulæ verò interpretandi ſacras literas expoſcunt, vt proprie ſumamus pro ferreo, chalybeue imbuto, gladio, quem Cherubim in aſſumpto corpore manu verſet, eumque igne vndequaque feruentem, & rutilantem, atque ſcintillantem, verſatilem omnino, & ex vtraque parte acutum, velut romphæam.

IV. Conſtitit Deo iubente, & Cherubino promptè alacriterque parente, tam diu ante paradiſum Cherubinus, quam diu ſtetit paradiſus, atque certũ, erit adhuc mihi conſiſtere, ſi certũ eſt, adhuc in rerum natura, elegantiſſimum illum paradiſum ſubſiſtere, ea lege, qua multi orbibus cœleſtibus mouendis angelos per tot ſæcula iungunt. Contemplabitur Aſceta, affixum loco hinc è nobiliſſimis angelis Cherubinum tanto temporis interuallo, vt ipſum non pœniteat aſceterio affigi, ea breui vitæ periodo, quæ eſt communis hominum.

CAPVT XI.

Pœnitentia Adami & Euæ.

I. TAtiani hæreſiarchæ grauiſſima hæreſis fuit, ſi Tertul. lib. de præſcript. cap. 52. eſt fides adhibenda, Adamum ſalutem conſe-

sequi non potuisse, si Irenæo, lib. 1. cap. 31. cap. 31. & l. 3. cap. 39. à Christo redemptũ non fuisse, atque hanc ouem perditam, sufficienti dato pretio non inuentam, quod Epiph. quoque docuisse putatur hær. 46 si autem Augustino, hær. 25. & alijs quibusdam Patribus, salutem æternam non obtinuisse, licet per Christi merita potuisset, quod epist. 99. ad Euod. putat ipsemet August. fere totam Ecclesiam refellere, quæ Adamum sentit à Christo, ad inferos descendente, liberatum fuisse & cum reliquis eductum.

II. Ego hæc indubitata censeo, Adamum, cui longum tempus resipiscendi est concessum, quod non angelis, potuisse post lapsum per pœnitentiam saluari, non idcirco modò, quod Dei voluntate & potentia præstari potuerit, sed quod eius ergo reliquerit ipsi etiam Adamo sua auxilia, verbo Dei affatim expressa vel promissa, ca. 18. & 33. Ezech. 1. ad Timot. 2. ad Tit. & 3. & alibi. Secundo etiam per Christum Adamum dato lytro fuisse redemptum, quod confirmant, quæ scripsit Apost. Rom. 5. 1. Cor. 15. 2. Cor. 5. & quod Euangelij S. Ioannes cap. 1. Baptista inclamarit, Agnum esse Christum, *qui tollat peccatum mundi*, quo tum Adami, tum omne originale peccatum est significatum. Tertiò, Adamo peccatum in paradiso patratum, condonatum fuisse, clare enim hoc tradit liber Sap. cap. 10. v. 2. qui ait, *Sapientiam illam qui primo formatus est à Deo, pater orbis terrarum, cum solus esset creatus, custodiuisse, & eduxisse illum à delicto suo.* Adeo namque hæc sunt perspicua, vt nisi eleuetur fides libri, quod parum prudenter conatus est Rupertus, lib. 3. in Gen. cap. 31. contra Ecclesiæ vniuersalis mentem, quam expressius demum aperuit Trid. sess. 4. negari nequeat peccati sui semel saltem remissionem obtinuisse. Hoc enim verba Sapientis requirunt, quæ pessimo exemplo cantacuzenus inusitata metaphora, violentoque interpretandi genere, exposuit aliter prorsus, quam SS. Patres, Hilar. can. 8. in Matt. Aug. serm. 104. de tempore, Greg. l. 1. Epist. 31. & plures alij, cum Irenæo Tertul. Philastrio, qui nobis astipulantur.

III. An semel pœnitentiâ remissione peccatorum indeptâ perseuerarit, & tandem in gratia decesserit, cœlisque sit adscriptus, non adeo è sacris literis quidem est compertum, illud tamen fere, vt lo-

cutus est Augustt. tota etiam Ecclesia existimauit, imo quod lib. 11. de peccatorum meritis c. 34. asseruit, credidit, cui assensserunt Hilar. in Psalm. 119. Hier. in cap. 1. Eph. Nazian. in orat. 31. Tertul. lib. 2. contra Marcion. & Leo Nonus cap. *hi duo*. De consecr. d. 1. Ans. lib. 2. cur Deus homo, & alij, vt absq; erroris nota inficiari nemo queat, & fortassis etiam hæreseos, quod tenuit Alphonsus à Castro, atque verbis Sap. cap. 10. admodum est consentaneum, plenissimè ac perseuerantèr è delicto eductum fuisse. Quæ de Adamo allata sunt de Eua etiã intelligenda voluerunt Augustin. lib. 2. de peccat. mor. Tertul. Nazian. & Anselmus, paulo ante enumerati, ac arbitratur Hugo Victor. Gen. 3. verba illa Domini, quid tale exigere, *Inimicitias ponam inter te & mulierem, &c. ipsa conteret caput tuum*, vt temeritatis sit arguendus, qui vel solius Euæ salutem in dubium reuocaret.

IV. Concedendum est, absque conditione, pœnas & crimen originale in posteros transijsse, omnesque sufficienter, non efficaciter, vt loquuntur Theologi, redemptos, atque quam perfectissime crimen Adæ, qua ratione fuit capitis totius generis humani, non fuisse condonatum, plurimosque perpetuæ damnationi eius ergo mancipari. His porro non obstat, qua ratione personale fuit delictum, Adamo perfectissimè fuisse dimissum, ac adeo, vt etiam non desint, qui tradant pœnas prorsus omnes, etiam eas, quas pœnalitates vocant Theologi, ab Adamo penitus ablatas, quod cum Christo, resumpto corpore, rediuiuus, inter eos quorum est mentio Matt. 27. v. 52. & 53. resurrexerit, quod probabiliter tueri licebit, iuxta, ea quæ 2. to. in 3. p. q 53. a. 3. in comment. attulit Francisc. Suarez. Consecutus est hæc Adamus, fide futuri Messiæ, quem post lapsum ipse singulari reuelatione cognouit, non modo vti saluandorum supremum caput, sed etiam vt redemptorem, cuius meritis & satisfactionibus omnia essent diluenda omnium hominum peccata, modo obtemperarint vel media applicarint.

(***)

CAP.

CAPVT XII.

De posteris Adæ & Dei Genitrice.

I. POsteros Adæ labem ab Adamo contraxisse multoties asseuerauimus, idque sacrarum literarum testimonio, decretis SS. Conciliorum & consensu SS. Patrum, debet esse quam certissimum.

II. Ea ratione id tenendum est, vt nihilominus ab omni crimine & labe vindicemus Deiparam, cuius Conceptionem prorsus immaculatam fuisse propugnamus, quod potissimum in hanc sententiam inde à temporibus Sixti IV. Summi pontificis, Ecclesiam Catholicam propendere indies magis & magis animaduertamus, multa nobis sacris scripturis sancta traditione suppeditantibus, quibus ea confirmetur, quamquam obstiterit olim S. Thom. Angelicus Doctor, qui bene omnia, id est, prudenter, de Christo, Deipara, alijsque sacris rebus scripsit, certa vt certa, probabilia vt probabilia, ac prout illi tum occurrentibus rationibus, videbatur, adhærescens toto pectore Aaroni, & Moysi, id est Summo Pontifici, cuius si nutum scisset tantum, quantum eum iam nostra ætate Pauli V. & Gregorij XV. decretis & sanctionibus excepimus, pro immaculata conceptione calamum absque dubio admodum serio strinxisset, & honorem filij per matris maiorem integritatem adauxisset, imo totius SS. Trinitatis, cui sit laus, honor & gloria per omnia sæcula sæculorum.

FINIS.

S. Augustinus lib. 2. de peccato Original. cap. 23.

LOngè aliter se habent quæstiones istæ, quas esse præter fidem arbitramur, quam sint illæ in quibus salua fide, qua Christiani sumus, aut ignoratur quid verum sit, & sententia definitiua suspenditur; aut aliter quam est, humana & infirma suspicione conjcitur. Veluti cum quæritur,

qua-

qualis vel vbi sit paradisus, vbi constituit Deus hominem quem formauit ex puluere; cum tamen esse (realem in ipsis sacris literis) illum paradisum fides Christiana non dubitet. Vel cum quæritur, vbi nunc sit Helias vel Enoch, an ibi an alicubi alibi; quos tamen non dubitamus, in quibus nati sunt, corporibus, viuere. Vel cum quæritur vtrum in corpore an extra corpus in tertium cœlum sit raptus Apostolus, quanquam sit ista impudens inquisitio id scire volentium, quod se ille cui hoc præstitum est, salua vtique fide nescire testatur. Vel quot sint cœli, in quorum tertium se raptum esse commemorat. Vel vtrum elementa huius mundi conspicabilis quatuor an plura sint. Quid faciat solem lunamque deficere, his defectibus quos prædicere Astrologi certa temporum dinumeratione consueuerunt. Cur antiqui homines tam diu vixerint, quàm Sancta scriptura testatur, & vtrum proportione longioris ætatis filios sera pubertate gignere cæperint. Vbi potuerit Matusalem viuere, qui in arca non fuit, qui sicut in plerisque codicibus & Græcis & Latinis numerantur anni, reperitur superuixisse diluuio: vel vtrum paucioribus, qui rarissimi inueniuntur, potius credendum sit, in quibus ita est numerus conscriptus annorum, vt ante diluuium defunctus fuisse monstretur. Quis enim non sentiat in his atque huiusmodi varijs & innumerabilibus quæstionibus, siue ad obscurissima DEI *opera, siue ad scripturarum abditissimas latebras pertinentibus, quas certo aliquo genere complecti ac definire difficile est, & multa ignorari salua Christiana fide, & alicubi errari, sine aliquo hæretici dogmatis crimine.*

Deo Deiparæque honor & gloria.



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn74657651X/phys_0097
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn74657651X/phys_0098
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn74657651X/phys_0099
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn74657651X/phys_0100
DFG

IV.

cæ genus non eſt ars nec prudentia.

ut prolixi ſimus, nulla flagitat neceſſitas: unico igr
ur: quicunq; habitus philoſophicus non eſt practi-
ca vitia & virtutes, circa contingentia, circa ea quæ
adunt, illius quoq; genus eſſe nequit. Atqui Meta-
talis habitus Erg. genus ejus prudentia eſſe nequit.
t prudentiæ propria indoles, uti minorem ipſius
, quæ eſt mera theoretica ſeu ſpeculativa. De arte
dam movere auſi ſunt, quibus opponimus hanc ar-
i non competit definitio artis, illius genus ars eſſe
yſicæ non competit definitio Artis. Erg. Major
itio generis competit ſpeciei generi ſubjectæ, quia
eò eſt corpus animatum ſenſu præditum. Minor
ne artis. Ars, inqt. Philoſophus 6. Ethic. eſt habi-
ffectivus: hoc a. de Metaphyſica nemo ſanæ men-
theor. tranſc. diſp. 1. *th.* 28. *p.* 10. quia habitus pra-
hyſica, quomodo ars erit? Cum omnis ars ſit habi-
es habitus practici: Forſan ſpecies alicui compe-
genus illius ſpeciei? quod ego non crediderim,
omo ſit & non animal: Hæc ille. Artem contem-
m Mart. *part Metaph. l.* 1. *q.* 2. *ſ.* 1. & Scharf. *theor.*
p. 20. proclamamus σιδυρόξυλον. Nec juvat eum
io, quam ex Luciano ſuo accurato illo definitore
quæ quam perfecta & accurata ſit, videatur Exc.
b. 1. *art.* 3. *ſ.* 3. *p.* 10. Scheibl. Met. *l.* 1. *c.* 1. *art.* 2. *n.*
o. 7. *l.* 1. *quæſt.* 1. & alii.

V.

e genus non eſt intelligentia.

uſio non adeò ſit apud Dd. Metaph. controver-
a brevis ero: ſicuti a. de ſcientia ſtrictè ita dicta
l ideò non poſſit eſſe genus Metaphyſicæ, quia
ſiones: ita nunc de intellectu dicimus, quod hic
æ conſtituere nequeat, quia præcisè Principia
mentum. Qui habitus in nudis acquieſcit Prin-
. eſſe nequit. Aſt intelligentia talis eſt. Erg. Ma-